





DISSERTATIO POLITICA

DE

1777 49
10
7.
12

SYSTEMATE CIVITATVM

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

MAGISTERII LIPSIENSIS IVRIBVS OBTINENDIS

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

M. ERNESTVS CAROLVS WIELAND

VRATISLAVIA SILESIVS

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM ET ARTT. FRANCOFVRT.

ASSESSOR

ASSVMTO POST MERIDIEM COMITE

GOTTLOB FRIDERICO SCHMERBAVCH


DOBRILVCENSI LVSATO.

LIPSAE D. IX. APRIL. MDCCLXXVII.

EX OFFICINA LOEPERIA.

GREGORIVS NAZIANZENSIS in Carminib. Cygneis ineditis
apud JAC. TOLLIVM in Insign. Itinerar. Italici pag. 28.

Ἡμῶν δὲ τῶ μὲν ἑκτὸς ἢ πολλὰς λέγεις,
Ὅπως ποτ' ἔξει, τῶ δ' ἴσω ἅπαν πελάς.



COROLLARIA.

I.

Quoties vrgens necessitas adest, quicumque ciuis in reipublicae suae commodum, (non tamen intuitu obiecti, de quo praeter eum, qui maiestatem habet, nemo pacisci potest) cum hostibus recte paciscitur; ita vt ad hoc pactum seruandum ipsa ciuitas obligetur.

II.

Reipublicae Democraticae origo, a modis constituendi reliquas rerumpublicarum formas omnino differt. Ad illam enim singulorum Nomadum societate aequali coniunctorum consensus in maiestatem introducendam, eandemque in totum populum transferendam requiritur, reliquae vero rerumpublicarum formae pacto nituntur, quod integer populus cum futuro principe celebrauit.


III.

Amor patriae, ad quem obtinendum verae religionis cultus vnice facit, tamquam praecipuus educationis liberorum finis recte laudatur.

*

IV.





IV.

Ad machinae organicae directionem sufficit ens spontaneum, facultatibus cognoscendi et appetendi inferioribus instructum.

V.

Ens spontaneum, facultatibus cognoscendi et appetendi superioribus instructum, eo perfectius est, quo minus ad actum cogitandi auxilio externo, atque ita etiam, quo minus schemate, quod vocat, perceptionis indiget.

VI.

Si semidiametrum Solis ponamus = d ; latitudinem planetae cuiuscumque inferioris = x ; longitudinem Solis = l ; longitudinem vero planetae = λ : transitus centri huius planetae per orbitam Solis continget, quoties $x < d$; et $\lambda > l - \sqrt{d^2 - x^2}$.

VII.

Ponamus semidiametrum Solis = d ; latitudinem planetae inferioris, qui per orbitam solis transire ponitur, eo momento, quo centrum ius orbitam illam ingreditur, = x ; eo autem momento, quo ex eadem egreditur = y ; porro, relationem, quae inter motum proprium solis vel potius terrae, atque inter motum proprium planetae ad Eclipticam relatum obtinet = μ : His ita praemissis, spatium quod planeta retrogradus eo tempore, per quod in Sole conspicitur, percurrit, ad Eclipticam relatum, in genere erit proxime = $\frac{m + \mu}{m} \times$

$(\sqrt{d^2 - x^2}) + \sqrt{d^2 - y^2}$; spatium vero ad Eclipticam relatum, quod in eodem tempore percurrit planeta retrogradus, erit proxime = $\frac{m - \mu}{m} \times (\sqrt{d^2 - x^2} - \sqrt{d^2 - y^2})$.

VIII.



VIII.

Auroræ Borealis *γίνεται* ex particulis æthereis, quæ, quum in regione æquatoris ob rapidissimam globi terraquæi reuolutionem circa axem, magno caloris gradu augeantur, ad regionem polarem delatæ lucere incipiunt: explicari potest.

IX.

Quo subtiliores sunt partes minutissimæ calcem constituentes, eo facilius particulae aqueæ ad calcem admotæ efficiunt, v. calx tum efferuescat, tum in flammam erumpat.

X.

Ciuitas DEI, est complexus omnium entium spontaneorum creatorum, quæ libertate gaudent.

XI.

Mundi physici systema, recte dicitur ciuitatis DEI territorium.

XII.


Historia Naturalis, quæ diuersa corporum creatorum genera, variasque, quibus corpora obnoxia esse solent, mutationes euoluit, omnino tractanda est, antequam ad doctrinæ Physicæ studium transeamus.

XIII.

Facultas agendi moralis, qua omnes omnino spiritus gaudent, iam in Cosmologia euoluenda est; ita vt hæc doctrina summa Iurisprudentiæ principia complectatur.

XIV.







XIV.

Regula Psychologica: Opposita iuxta se posita magis elucescunt; ex Matheos intensorum doctrina optime demonstratur; et foecundissimum sinit Aestheticae principium.

XV.

Vis fulminis eadem prorsus ratione metalla liquefacit, qua antimonio ad ferrum admoto fusionem huic faciliorem conciliari videmus.






PROLOGVS.

Rationum, quibus factum fit, vt altera ciuitas maiora in dies acciperet incrementa, altera vero opprimeretur, inuestigationem, iucundam aequae ac vtilem esse, nemo est qui non videat. Hanc enim regiam quasi in tractanda historia viam si sequamur, fieri non poterit, quin veram gloriam, quae ex assiduo iustitiae atque virtutis cultu ad ciuitates olim redundauit, a ficto splendore eoque, quem malis artibus aliae sibi conciliare maluerunt respúblicae, distinguamus diligentius. Duae nimirum sunt normae, ad quas componenda est negotiorum publicorum administratio; iuris, quo societas ciuiliis regitur, earumque legum, quibus gentes liberae vtuntur, praecepta, et genuina artis politicae principia. Felix est respública, in qua iustitiae et virtutis studium a rationibus politicis numquam separatur! Ipsa enim hominis natura, quae, si euoluere eam velimus, aeternas illas leges ab infinito numine actionibus nostris praescriptas nobis suppeditabit, ipsa, inquam, natura, luculenter ostendit, nonnisi praeuia eius, quod iustum atque iniustum est, consideratione, de promouendis vel reiiciendis, quae utilitatis ratio suadet, consiliis statui posse. Non minori autem cura rerumpublicarum rectores de eo prospicere debent, vt ex omnibus plane, quae capiunt, quaeque sequuntur, consiliis, pulchra virtutis imago eluceat. Recte et apposite Ill. WEGVELINUS, in prorsus egregia diatriba: *Sur la Philosophie de l'Histoire,*)

A 2 con-

a) Quae legitur in nouis Commentariis Regiae Academiae Scientiarum Borussiae Tom. I. pag. 361—414. Ibi pag. 375. „Les systémes politiques, au lieu d'être les Satellites d'une notion primitive de la ver-






confilia politica fatellitum virtutis vice fungi debere pronunciat, et de ratione status, quam vocant, a doctrinae moralis praeceptis vt plurimum separata conqueritur. Quo maior itaque artis legitimae, et prudentiae ciuilis ad genuina iuris et doctrinae moralis principia accommodatae, vis esse solet, tum in administrandis negotiis publicis, tum vero etiam in diiudicandis ciuitatum vicissitudinibus: eo maiore quoque studio tractanda est ea iurisprudentiae vniuersalis regio, quae de diuersis rerumpublicarum formis, deque variis, quae inter gentes liberas obtinere queunt, relationibus, exponit. Quapropter, periculum facturus, quid in hoc genere praestare nostra qualiscumque opera possit, in hae, quam TIBI, LECTOR HUMANISSIME! e hibeo, meditatione, de eo, quod circa systemata ciuitatum iustum vel iniustum est, pauca quaedam in medium proferre apud animum constitui. In quo ipso eum obseruare ordinem malui, vt primo loco, de notione atque origine Systematis Ciuitatum; deinde de iuribus et obligationibus ciuitatum, quas inter nexus systematicus intercedit; tandem vero de modis dissoluendi nexum systematicum, exponerem. Tu vero B. L. exiguo hoc libello, quantum licebit, frueri; si vero non omnia quae attuli, tuo calculo digna, suisque absoluta numeris TIBI videantur, causam nostram apud te perorare finas illud vatis Venusini effatum:

Est quodam prodire tenus, si non datur vltra!

*„vertu, et d'en recevoir l'impulsion, se reglent sur la tendance qu'ils ont
à la plus grande force, produire par la somme aussi bien que par l'union
de toutes les parties constitutives de l'Etat. Ce qui fait coïncider rare-
ment le système politique avec le système moral.“*




CAPVT I.

DE NOTIONE ET ORIGINE SYSTEMATIS
CIVITATVM.

§. I.

Quum in tractandis nobilissimis scientiae humanae capitibus docti homines, quibus cordi sunt artium incrementa, de palma quasi decertare soleant, satis admirari numquam potui, tam paucos inueniri auctores, qui de vnione ciuitatum systematica scripserint. Si enim generalia de hac vnione principia, quae in libris Doctorum Iuris Naturae, non tamen omnibus, exposita leguntur, exceperis: ex iis, qui nobis innotuerunt, vir, dum viueret πολυμαθής Samuel L. B. DE PUFENDORF primus peculiarem conscripsit de *Systematibus ciuitatum* dissertationem (quae extat in Pufendorffii *Dissertationibus Academicis selectioribus Upsalae* a. 1677 iunctim editis; pag. 210—261.), in qua tum iuridicas, tum vero etiam passim politicas de vnione illa systematica tractauit quaestiones. Post hunc dubia quaedam huius doctrinae capita, et remedia politica morbis, quibus systemata ciuitatum obnoxia esse solent, opponenda, egregie exposuit CORN. VAN BYNKERSHOEK in *Quaest. Iur. Publ. Lib. II. cap. 24.* ciuitatum vero systema cum ciuitate simplici comparauit A. IOACH. ERDMANN SCHMIDT in *Exerc. Politico-Historica de Ciuitatis origine, Ciuitatumque Systematis* (Ienae 1745.). Exempla denique, quae huc faciunt, ex Historia congeffit IOHANNES SCHILDVS (quem laudat HERTIVS *diff. de modo constit. ciuit. S. I. §. 9. in Opusc. Vol. I. T. I. p. 295.*) in *libris III. de coalitione populorum ac rerumpublicarum*. Sed haec haecenus. Jam ex ipsa societatum natura, nostram, age, de Systemate ciuitatum repetamus sententiam; eamque ex Historiae thesauris illustrando, quam ratione fieri possit, vt nexus ille systematicus ab alia quacumque rerumpublicarum vnione distinguatur, pro virium, quibus instructi sumus, imbecillitate, doceamus.






Dirae necessitatis ratio prima homines docuit, ad finem vitae secure haeque viuendae contendere neminem posse, nisi aliorum viribus atque auxilio adiuuetur. Quam ob causam antiquissimi iam telluris incolae de conciliandis sibi aliorum animis, quo tum pericula imminetia propulsare, tum comodiorum inire possent viuendi rationem, cogitare coeperunt. Primaeuam hanc societatum originem quilibet nouit, et prorsus egregia ratione nuper exposuit IOANNES FRANCISCVS FINETTUS de *Principiis iuris naturae et gentium aduersus Hobbesium, Pufendorfium, Thomasium, Wolfson et alios* (Venetiis 1765. 4.) Tom. I. Lib. V. cap. 7. pag. 326. seqq. Homines nimirum quos inter ex pacto mutua iura, et mutuae ad eundem finem obligationes intercedunt, focii dicuntur. Societas itaque, si definire eam velimus, est status pactitius, in quo mutua iura mutuaeque ad eundem finem obligationes obtinent. (a) Pactum autem, quod societatem praecedat, vel expresse vel tacito consensu iniri posse, nemo non videt. Atque ita euenit, vt tacito vt plurimum

a) Non ex quocumque pacto status oritur. Status enim hominum moralis est complexus iurium et obligationum, quibus facultas illorum agendi moralis in genere considerata circumscribitur. Qua cum definitione satis conspirare nobis videntur, quae CHRIST. THOMASIVS in *Iustit. Iurisprud. diuinae Lib. I. cap. II.* HENR. KOEHLERVS in *Exerc. Iur. Nat. Exerc. V. §. 882. seqq.* PERILL. L. B. DE WOLFF in *Iustit. Iur. Nat. et Gent. §. 8. et 96.* et PERILL. DARI-ES in *Iustit. Iurisprud. vniu. §. 2. seqq.* disputarunt. Non equidem diffiteor, cuiuscumque pacti eam esse naturam atque indolem, vt per illud iura et obligationes pacificentium certo modo determinentur. Sic v. c. per foedus quocumque inter gentes liberas celebratum, harum gentium iura et obligationes definiri, attamen hic de specialibus tantum praestationibus, non de iurium et obligationum genere quodam agi, nemo ignorat; nec tali foedere inuito statum rerum publicarum pacificentium mutari quisquam dixerit. Quapropter tunc demum, vbi non de singulari quadam praestatione sed de facultate agendi morali in genere considerata, huiusque determinatione plures pacificentur, statum pactitium oriri, persuasum nobis habemus.

num liberorum, qui iam ratione atque intellectu uti coeperant, atque omnia sua parentibus sese debere nouerant, consensu, oriretur parentes inter et liberos societas, quae cum societate coniugali cumque herili coniuncta, societati domesticae dedit originem. Quum autem societatis domesticae vires ad propulsandam potentiorum, qui magna seruorum manu stipati imbecilliorum agros deuastare solebant, iniuriam saepius non sufficerent, inter plures huiusmodi societates pacto interposito placuit, ut coniunctis contra inuafores illos viribus, pacem et securitatem colerent, nihilo tamen minus quaecumque ex vnitatis societatibus, iura sua integra seruaret, et caeteris familiis non nisi ad communem obstringeretur defensionem. Jam vero, societas in qua nullus socius ius habet alteri socio inuito perfectas imponendi obligationes, aequalis dicitur. Ex quo patet, societatem illam inter plures familias, ad propulsanda, quae ab inuaforibus imminant, pericula initam, esse aequalem; atque ita, quum nullius ex vnitatis familiis sit, reliquis imperare, non insulse a quibusdam iuris naturalis Doctoribus Anarchiae vocabulo appellari. cf. *Perill. DARIUS in Instit. Jurispr. Uniu. §. 653.*

§. 3.

Societatis aequalis, qua plures familiae vniuntur, indoles, imperium quidem respuit (§. 2.); sed nihil impedit, quo minus, aut altera ex vnitatis familiis, aut vnus etiam homo auctoritate et prudentia inter omnes maxime florens, negotia reliquarum familiarum communia dirigat. omniumque actiones ad finem societatis componat. Quum enim imperium iure proprio cogendi ad obtemperandum voluntati nostrae absoluat, tale autem ius personae, cui in societate illa aequali dirigendorum negotiorum communium prouincia demandata est, non tribuatur; facile apparet, salua cuiusuis familiae libertate, directorem, quem descripsimus, constitui posse. Videmus igitur, ut multa paucis complectamur, in societate, de qua sermo nobis est, aequali omnia valide fieri posse, quae nec vllam alterius familiae erga alte-



alteram vel reliquas familias introducunt subiectionem, nec ipsi vnionis legibus repugnant. Ex quo prono veluti alueo fluit, societatum vnitarum quaecumque proprios intra fines imperium omnino admittere posse, quatenus nempe reliquorum sociorum iura ex ipsa societatis aequalis lege quaesita, nullum inde detrimentum patiantur. Imperantes itaque in societates illas domesticas admissi, quum non impediunt, quo minus societas aequalis ex vnione plurium familiarum oriunda subsistat, facile consequitur, eiusmodi etiam hominum coetus, qui eiusdem principis vel diuersorum imperantium maiestatem agnoscunt, quatenus saluis imperii, cui parent, iuribus licet, mutuo consensu interposito in societates aequales coire posse.


§. 4.

Ex iis, quae praecedunt, satis iam, vt opinor, apparet, societatum aequalium, quarum membra non singuli sunt homines, sed integri potius hominum coetus seu personae mysticae, diuersas esse posse origines, diuersasque etiam condiciones. Coetus enim hominum singuli, quorum ex vnione societas aequalis oritur, secundum ea, quae diximus (§. 3.), aut sui omnino iuris sunt, aut imperantium maiestatem tanquam subditi venerantur. Sui iuris sunt societates illae domesticae, quae libertate naturali fruuntur (§. 2 — 3.); et constitutis iam rebus publicis, gentes liberae. Imperantium maiestati obtemperare tenentur singulae rerumpublicarum prouinciae, aliaeque, quae in ciuitate sunt, personae mysticae; quae igitur, vt, tam cum gentibus liberis, quam cum aliis subditis, in societatem aequalem coalescere possint, aut legum quibus reguntur, aut expressus principis consensus accedere debet.

§. 5.

Quum quaeuis sane societas vnionem quandam inuoluat, non autem quaecumque vnio societatem introducat, atque ita facile fieri possit, vt res toto caelo diuersae confundantur: instituti nostri ratio postulat, vt breuiter de diuersis, quae inter ciuita-

tes



tes intercedere possunt, vnionum speciebus, dicamus. Vnio rerumpublicarum contingit, quoties determinationes quaedam iuris ciuitatum singulis rebuspublicis propriae ad easdem tamquam propriae pertinere desinunt, ita, vt harum determinationum intuitu vnum tantummodo corpus constituent. Jam vero, in tali vnione vel respublicae, ad quas ea spectat, singulae, iura gentium salua retinent, vel minus. Posteriore in casu, vel singulae quidem respublicae vnitae iure gentium vti desinunt, sed coniunctae tamen, dum aequalibus gaudent iuribus, vniam non nisi gentem liberam constituent; vel altera ciuitas seu reliqua respublicae, prorsus amisso gentium iure, in gentis alteriuditionem transeunt. In priore, quem modo posuimus, casu, vnio, de qua loquimur, erit aequalis, hoc est, ita comparata, vt provinciis vnitis aequalia semper iura indulgeat; sed duplicis iterum tenoris haec vnio esse potest. Aut enim repudiatis, quibus ciuitates vnientiae regebantur, iuribus publicis, nouus post vnionem oritur reipublicae contextus, nouo etiam iure publico regendus, (b) aut non; sed potius vel ciuitatum vnitarum altera in iuris publici ad alteram rempublicam non immutatam spectantis communionem cooptatur; (c) vel singulae respublicae vnitae, iura publica, quae ante vnionem habuerunt, salua con-

b) Talis fuit vnio Magnesium et Smyrnaeorum, quam ex HVM-
PHRIDI PRIDEAVX MARMORIBVS OXONIENSIBVS. I. adducit
J. D. NIC. HERTIVS in diss. de modo constituendi ciuitates
Sect. I. §. 9. (in Opuscul. Vol. I. Tom. I. pag. 293.) quo loco et alia
quaedam exempla huc reuocanda habentur.

c) Huius vnionis exemplum nobis exhibet Sabinorum in iuris pu-
blici Romani communionem cooptatio, de qua LIVIVS Hist. Lib. I.
cap. 13. ita pergit: „Inde ad foedus faciendam duces prodeunt, nec
„pacem modo, sed et ciuitatem vniam ex duabus faciunt, regnum
„confociant, imperium omne conferunt Romam. Ita geminata vr-
„be, vt Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appella-
„ti.“ Huc etiam reuocanda Romanorum et Albanorum vnio de qua
LIVIVS Hist. Lib. I. cap. 28.

B

conseruant. (n) In posteriore autem casu primo quouis intuitu apparet, vnionem euadere inaequalem (e), iura vero et obligationes, quae ex illa oriuntur, ex ipsis nonnisi foederis inaequalis, quod vnionem praecedit, tenore colligi posse, atque aestimari. Tantum de ciuitatum vnione, quae iuris gentium immutationem inuoluit, cuius autem vberior explicatio ad huius libelli limites non spectat. Jam de altera laudatae vnionis specie, per quam in nulla plane ex vnitis ciuitatibus ius gentium mutationem aliquam patitur, dispiciamus. Haec igitur vnio, vel quandam inuoluit iurium maiestaticorum, quorum exercitium ad defensionem contra extraneorum iniurias spectat, quaeque a singulis antea rebuspublicis ex plena potestate exercenda erant, communionem expresso foedere introductam, vel minus. Hunc ad casum (vt varias taceamus certorum regalium immanentium communicationes huc etiam referendas) spectat vnio ciuitatum, quae contingit, si eidem principi, saluis tamen cuiuscumque ciuitatis iuribus, nec introducto mutuo quodam, quod inter respublicas illas intercederet, iurium atque obligationum vinculo, sub-

d) Sic Burgundiae et Arelati regna, mortuo a. 1032. rege clientelari Rudolpho III. ob nexum feudalem cum Germanico Imperio sunt coniuncta, imperante Conrado II. Salico; qui deinde filium suum Henricum III. anno 1037. Burgundiae atque Arelati constituit regem. De qua vnione fufius egit PERILL. DE LVDEWIG in *Singularibus Iuris publici* pag. 515—524. maxime vero pag. 520. nor. 609. vbi WIPPOINIS in *vita Conradi II. Salici* (quae legitur apud PISTORIUM, in editionis Struuianae Ratisbonensis Tomo III. pag. 457. sqq.) ad annum 1037. locum adduxit, ex quo Burgundiae atque Arelati ius publicum particulare per hanc vnionem haud fuisse immutatum satis apparet.

e) Tali vnionis formula in ditionem Romanorum transit populus Collatinus, apud LIVIUM *Hist. Lib. I. cap. 37.* Vnio porro huiusmodi inaequalis Regni Langobardorum cum Regno Francico a. 774. contigit, post deuictum a Carolo M. et in ditionem acceptum Dederium Langobardorum regem. De qua vnione vide sis EGINHARDVM in *vita Caroli M. cap. 6. et 7.* (quae exstat apud du Chesne in *Hist. Franc. Scriptor. Tom. II. p. 93. sqq.*) *Annales Merenses* (apud du Chesne l. c. Tom. III. pag. 262. sqq.) ad a. 774. et *Annales Berrinianos* (quos habes apud du Chesne l. c. Tom. III. p. 150. sqq.) ad a. 774.

fubiiciantur; (f) illum vero ad casum reuocandum est *Systema ciuitatum*, de quo iam loquimur, et cuius natura, his ita disputatis, illud a quauis alia ciuitatum vnione toto caelo differre, fatis ostendit. (g)

B 2

§. 6.

f) Administrationem iurium maiestaticorum ad diuersas ciuitates spectantium, quae, saluo cuiusque earum iure gentium, vnum eundemque principem agnoscunt, communi omnium consilio perendam, numquam praesumi posse, sed expresso semper pacto niti debere, quibus nobis conceder. Ponamus enim principem, qui pluribus rebus publicis praest, alterius ciuitatis viribus ad alteram defendendam vti velle, ne hoc quidem fieri poterit, nisi reipublicae illius accedat consensus. Nullam scilicet ciuitatem iuribus perfectae aequalitatis, quae in relatione ad alias gentes habet, renunciaisse, praesumitur; ita, vt v. c. dici plane non possit, ciuitatem, eo, quem determinauimus, modo cum alia republica vnitam, ad exercenda non nisi coniunctim cum hac iura belli, foederum, legationum cet. obligari. Huiusmodi vero vnionis illustre exemplum habemus in historia Sueciae. Sigismundus nimirum Poloniae rex, quem iure successionis, patre Iohanne defuncto, Suecica etiam corona, saluis vtriusque regni iuribus, ornaretur, nec tamen pacta cum ordinibus regni Sueciae celebrata seruaret tandem Suecano diademate exutus est. Quam historiam fusc enarratam vide apud LOCCEIVM in *Hist. Suec. Lib. 7.* Iphius autem exclusionis ab imperio iustitia propugnatur in peculiari scripto, cui titulus: *Exegesis historica non minus aequas quam graues commemorans causas, quibus amplissimi ordines regni Sueciae prouocati Sigismundum III. R. Polon. eiusque progeniem vniuersam in omnem aeternitatem Suecico exuerint diademate; cet. Stockholmiae 1610. 4.* Nobiscum ceteroquin faciunt HERTIVS in *diff. de vno homine plures sustinente personis Sect. II. §. 9.* (in *Opuscul. Vol. I. Tom. 3. p. 35.*) quo loco regem, qui pluribus praest regnis, diuerso iure regendis, plures sustinere personas recte pronunciat; GOTTL. GERH. TITIVS in *Obseru. ad Pufendorf. de Off. hom. et ciu. Lib. II. cap. 8 §. 14. Obs. 590. et Perill. DARIES in Instit. Iurispr. Vniu. §. 770.* vbi regnorum vnionem a systemate ciuitatum accurate distinguit.

g) Si distinctionum, quas cum lectoribus nostris communicauimus, rationem habeamus, fieri non poterit, quin plures ciuitatum vnionem, quae systematis ciuitatum speciem saepius prae se ferunt, ab eo accurate distinguantur. Vnum sufficiat exemplum ex Historia Romana petiturum. Diuersam fuisse municipiorum conditionem, neminem fugit. Omnia tamen municipia (quod ex A. GELLIO in *Noct. Att. Lib.*

Lib. XVI, cap. 13; VLPIANO Lib. II. ad Edict. in L. I. π. ad Municipal. et de incol. et PAVLLO Lib. VIII. ad Edict. in L. 18. π. de Verb. Signif. apparet) hoc commune habuerunt, ut Romana ciuitate essent exornata, et, ut eorum ciues muneris tantum honorarii cum populo Romano essent participes. Jam vero, si differentiae, quae inter municipia obseruatur, rationem respiciamus, vel populus eorum fundus factus erat, vel non. Municipia, quorum populus fundus factus non esset, duplicis iterum erant conditionis auctore FESTO voc. *Municipes et Municipium*; quem locum ex EZ. SPANHEMII Orb. Rom. Exerc. I. c. 12. §. 70. illustrat HEINECCIUS in *Synagm. Ant. Rom. in app. Lib. I. §. 122.* Alii enim municipiis solius honoris causa, pro auxilio in bellis praestando, ciuitas Romana concessa fuisse videtur; ita, ut huiusmodi municipes in legionibus tamquam ciues, non in auxiliis tamquam socii militarent; alii contra municipes maiora ex iure ciuitatis Romanae percipiebant emolumenta, utpote qui, si Romam venirent, omnium plane rerum ad manus fungendum cum populo Romano erant participes, non tamen suffragia ferre, nec magistratus capere poterant. Vtraque tamen, quae descriptissimus, municipia suo iure utebantur, rempublicam suam semper habebant separatam a Romana, et propria auctoritate leges introducebant, teste CICERONE de LL. lib. III. c. 16. ita, ut in his, si rei originem spectaueris, nulla cum republica Romana deprehendatur vera unio, sed tantum foedus, eximiiis quibusdam iuribus, quibus aliae ciuitates ad similia pacta inuitarentur, munitum. Prorsus diuersa erat municipiorum facies, quorum ciuitas vniuersa, ut cum Festo l. c. loquamur, in ciuitatem Romanam venerat, seu quorum populus fundus factus fuerat; quae *ciues*, quid sibi proprie velit, ex FRANC. HOTOMANNI *Obs. Lib. II. cap. 6.* egregie exposuit GEORG. SCHVBART de *Faris Iurisprud. Rom. Exerc. II. §. 74.* De quibus CICERO in *Or. pro L. Cornelio Balbo*, ita pergit: „Sed totum hoc, iudices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut, quum inisset populus Romanus aliquid, si id ascuissent socii populi ac Latini, et si ea lex, quam nos habemus, eadem in populo aliquo tamquam in fundo resedisset, ut rum lege eadem is populus reueretur.“ Hocce autem municipes ius suffragii habuisse, et peculiari tribui Galeriae fuisse adscriptos ex HENR. NORISII *Cenograph. Pisan. Diss. I. I.* Heineccius l. c. docuit. Ex quo patet, horum municipiorum cum republica Romana nexum, ad eam vnionis speciem, quam in *not. c.* illustrauimus, referendum esse; ita, ut iam certi sumus, omnium omnino municipiorum cum Romanis coniunctionem systematicam non fuisse; sicuti nec illa cum coloniis, praefecturis et regionibus in prouinciae formam redactis confundenda esse, ex GEORG. SCHVBARTO l. c. *Ex. II §. 71-75.* et HEINECCIO l. c. in *App. Lib. I. §. 100-132.* discimus.


§. 6.

Systema igitur ciuitatum est unio plurium rerumpubli-
carum aequalis, expresso foedere introducta, in qua iura maiesta-
tica, quorum exercitium ad defensionem contra extraneorum
iniurias spectat, communi omnium consensu et nomine admini-
strantur. (h) Ex qua definitione facili negotio colligitur:

B 3

D) Ad

h) Non equidem ignoro alias placuisse definitiones summo viro
SAM. PUFENDORFIO in *I. N. ex G. Lib. VII. cap. 5. §. 16. et de Off.
Hom. et Ciu. Lib. II. cap. 8. §. 13.* dum Systema ciuitatum adesse di-
cit, vbi plures ciuitates perfectae peculiari aliquo vinculo ita conne-
stuntur, vt ipsarum vires fere pro vnus ciuitatis viribus haberi que-
ant; et in *diff. de Systemat. Ciuir. §. 2.* quo loco laudatae definitio-
ni hunc characterem addit: ita connexas ciuitates, summum nihilo-
minus imperium in se retinere debere. Sed, quum in his defini-
tionibus, sicut et in iis, quas J. H. BOEHMERVS in *Iur. Publ. Vniu.
Parr. Spec. Lib. I. c. 3. §. 27. et Cels. SCHRODTIVS in Syst. Iur.
Publ. Vniu. (Pragae 1765. 4.) P. I. c. 3. §. 27.* in medium protule-
runt, de eo tantum, quod apparet, dicatur, atque ita fieri omnino
possit, vt externa quadam specie decepti vnionem regnorum, de qua
in *not. f.* diximus, pro vero ciuitatum systemate habeamus (quod
etiam ipsi Pufendorfio accidit in *I. N. ex G. Lib. VII. cap. 5. §. 17.
De Off. hom. et ciu. Lib. II. c. 8. §. 14. et in diff. cit. §. 9. seqq.*)
nouam potius, facem praeferente arte determinandi, efformare ma-
limum definitionem. Notionis quidem Pufendorfianae naeuos iam
viderunt EVERARD. OTTO et GOTTL. GERH. TITIVS in *Obseruac.
ad Pufendorf. de Off. hom. et ciu. Lib. II. cap. 8. §. 13.* atque illam
obscuriorem esse et nimis generalem recte pronunciarunt. Quapro-
pter etiam Titius *l. c. obs. 589.* eam, quam in *Specim. Iur. Publ. Lib.
VI. c. 7. §. 34.* habet, Systematis ciuitatum definitionem, notioni
Pufendorfianae substituit, ita, vt Systema ciuitatum esse dicat, cor-
pus ciuile, ex pluribus ciuitatibus ita compositum, vt vnaquaeque
ciuitas summum, ac plerumque etiam plenum imperium habeat, sed
ita limitatum, vt quaedam eius partes coniunctim ab omnibus sint
exercendae. Quam Titii definitionem eum ea, quam nos suppedi-
tauimus, notione satis conuenire, si vnicum corporis ciuilem s characte-
rem exceperis, quiuis videt. Corpus enim ciuile Systema ciuitatum
dici ideo nequit, quia singulae ciuitates vnitate imperium vere reti-
nent, quod de iis, qui in societatem ciuilem coaluerunt, affirmari
num-



I) Ad systematis ciuitatum originem requiri 1) pactum de in-
tro-
numquam potest; vnde et infra §. 13. *not. q.* contra B. Schmidii, in
diff. de Ciuit. origine Ciuitatumque Systematis, opinionem vberior er-
rit disputandi occasio. Propius ad nostram quidem accedunt sententiam
HEINECCIUS in *Elem. Iur. Nat. Lib. II. cap. 6. §. 118.* et PER-
ILL. DARIUS in *Jurispr. Vniu. §. 768.* quorum ille, systema ciuita-
tum oriri dicit, vbi icho foedere voluntates viresque diuersarum re-
rumplicarum ad communem defensionem vniuntur; hic, iidem
naturam systematis periculorum communium propullatione absolui
contendit. Eadem fere est THOMASII in *Jurispr. diu. Lib. III. c. VI. §. 7.*
sententia. Quum vero hae definitiones finem tantum systematis
ciuitatum, non autem internam sistant coniunctionis systematicae
constitutionem; ita, vt a quocumque foedere aequali hac ratione sy-
stema discerni satis commode non possit; ipsa iura maiestatica, quo-
rum exercitium commune efficit, vt systema ciuitatum oriatur, de-
terminare nobis placuit. Restat, vt de ipso systematis vocabulo pau-
ca subiungamus. Primus nimirum, quantum scimus, Strabo plurimum
ciuitatum coniunctionem dixit σύστημα, et hoc vocabulum de concilio
Amphictyonico, deque Achaico foedere vsurpauit. De illo enim
Lib. VIII. pag. 420. (edit. Parisinae de a. 1620.) haec habet: καὶ
δὴ καὶ τὸ Ἀμφικτυονικὸν σύστημα ἐκ τῶν συντάχθην, περὶ τε τῶν κοινῶν βουλευ-
σόμενον, καὶ τῷ ἑρῶ τὴν ἐπιμέλειαν ἕξον κοινοτέρων. Idem de Argiuis in
foederis Achaici communionem receptis Lib. VIII. pag. 377. ita per-
git: μετασφόντες δὲ τῶν Ἀχαιῶν συστήματος, σὺν ἑκείνοις τὴν τῶν Ῥωμαίων
ἕξουσιαν ἤλθον καὶ νῦν συνέθεντες ἢ πόλιν, δευτέρουσα τῇ τάξει μετὰ τῇ Σπαρτῆν.
Vide sis caeteroquin de hisce vnionibus systematicis BOECLERI et
van DALEN *diff. de concilio Amphictyonum*; MARTIN. SCHOOCKIUM
in *Achaia vet.* (ap. Gronouium in *thes. Ant. Graec. T. V. p. 2141—*
2207.) et VBBON. EMMIVM *de rep. et fort. Achaeorum* (ap. Gronouii-
um l. c. T. III. p. 578—575.). Strabonem vero ipsum systema a ci-
uitate simplici non semper accuratius separasse, ex iis colligi posse vi-
detur, quae Lib. XIV. pag. 664. et 665. de Lyciorum republica me-
moriae prodidit. Postea enim, quam non omnes huius reipublicae
vrbes aequali suffragiorum iure gaudere commemorauerit, ita pergit:
ἐνάκον δὲ (scilicet ταῖς ψήφοις) καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρουσι καὶ τὰς ἄλλας
λευταρχίας, et missis interieclis: Ἐν δὲ τῷ συνέθρῳ πρώτων μὲν Λυκίᾳρχῳ
ἀρεταῖαι, εἰτ' ἄλλοι ἀρχαὶ τῷ συστήματος δικατήριά τε ἀποδείκνυται κοινῇ. Ex
quibus conici potest, penes concilium illud Lyciorum summam re-
rum fuisse, ita vt singulae vrbes imperio essent desitutae, quum nu-
der dicatur, proportione suffragiorum obseruata illas ad pendenda
tributa fuisse obligatas. Non recte igitur simplicem Lyciorum ciui-
tatem a Strabone systema dici, iam PVFENDORFIVS in *diff. cit. §.*
18. animaduertit.

7.
 trodúcenda iurium quorundam maiestaticorum communione;
 et 2) pactum, per quod iura haec maiestatica determinentur,
 atque modus ea exercendi definiatur. II) Unionem ciuitatum
 systematicam, utpote quae pactis nititur, quibus iurium et obli-
 gationum genus, nempe ius regalia quaedam exercendi, deter-
 minatur (§. 2. not. a.), semper inuoluere statum pactitium,
 et quidem societatem aequalem (§. 2. et 5.). Ciuitates enim
 vnitae, secundum ipsius, quae inter eas intercedit, vnionis te-
 norem, statum acquirant pactitium, qui illis, salua tamen ae-
 qualitate naturali, mutua largitur iura, mutuasque imponit
 obligationes, numquam tamen eatenus extendendas, vt altera
 ex vnitis ciuitatibus in alteram imperium sibi arrogare possit.
 Vnde iam patet III) omnia iura, quae communi consilio admi-
 nistrari in ipsa vnione placuit, non nisi accedente singularum ci-
 uitatum consensu exerceri posse, veram igitur in tali systemate,
 utpote quod perfectam conseruat ciuitatum vnitarum aequalita-
 tem, eamque, quae gentibus tantummodo liberis vindicari pot-
 est, adesse Anarchiam. (§. 2.) IV) Peculiares singularum re-
 rum publicarum formas in ipsa systematis natura nihil prorsus
 immutare. Vnde iam perspicuum est, Monarchias etiam in ta-
 lem nexum systematicum coalescere posse; quoties autem non-
 nulla ex hisce regnis vel plane omnia eidem principi parere in-
 eipiunt, hunc, tum in relatione ad gentes extraneas, tum vero
 etiam, si ad systema ciuitatum referatur, plures sustinere per-
 sonas; eundemque numquam nisi secundum leges in vnionis
 foedere praescriptas, iura maiestatica communi regnorum suo-
 rum consilio administranda, exercere posse. Tandem ex ea,
 quam suppeditauius, notione sequitur V) a nexu systematico
 recedi non posse, nisi aut consensus eorum, quorum interest,
 interuenerit, aut vis externa cogens addit. Alia enim
 ratione fieri plane non potest, vt socius sine violatione
 iuris, quod reliquis ex foedere competit, statum pactitium
 deserat.




Jam de singulis, quae in ipsa systematis ciuitatum notione inesse diximus, momentis, paulo vberius dicendum est. Primo autem loco, vt de systematis rerumpublicarum origine exponamus, ordinis ratio suadet, quum reliqua momenta ad eorum, quae sequuntur, capitum tractationem reicienda sint. Causae igitur, vt ab his dicendi faciamus initium, impulsivae, quas vocant, a quibus repetenda est vnionis ciuitatum systematicae origo, eadem fere sunt cum iis, quas inde a primis mundi incubulis effecisse, vt in societates aequales Nomades coalescerent, iam supra (§. 2.) diximus. Imminetia igitur a potentioribus rebuspublicis pericula, quae coniunctis non nisi viribus propulari possent; auctoritatis, qua apud gentes extraneas singulae ciuitates pollebant, augendi ratio, interdum vero etiam vis bellica systematis ciuitatum origini ansam praebuerunt. Quae vero de causis his impulsivis proponuntur, quaestiones, quum faciliores esse soleant, et egregiis ex vniuersa fere historia exemplis illustrentur: ad pertractandas potius iuris quaestiones non ab omni difficultate liberas, quae huc reuocari possunt, nos conuertimus. Quaestio autem de iure, quod coetus quidam habeat, societatem aequalem systematicam ineundi, vel ad internam coetus illius constitutionem refertur, vel ad obligationes illius erga extraneos. Primo loco de laudata quaestione in prior relatione considerata, deinde vero etiam de eo, quod in altera relatione iustum atque iniustum est, discipiamus. Quum igitur ad systematis ciuitatum originem foedus requiratur, societatis, in exercitio iurium quorundam maiestaticorum ineundae, intuitu celebratum, quod duobus, quae recensuimus (§. 6. I.), absoluitur pactis; facile patet, eos demum, qui ius habent de iuribus singularum ciuitatum maiestaticis paciscendi systema huiusmodi ciuitatum introducere posse. Ex quo colligimus, principem rempublicam suam systemati ciuitatum innectere numquam posse, nisi aut haec potestas illi secundum pactorum, quae cum populo suo celebrauit, tenorem data sit, aut expressus

po.

populi consensus praecedat. Deinde vero etiam ex eodem principio, quin ex ipsa systematis ciuitatum notione apparet, societates ciuiles tantum integras tale systema constituere posse. Non itaque ad ipsius systematis originem pacta sufficiunt de communi defensione, deque modo illam exercendi inter diuerlos ciuium coetus celebrata. Huiusmodi enim pacta etiam inter ciues diuersis principibus subiectos, si modo aut legum aut principis accedat consensus, celebrari posse (§. 4.), tum iuris naturalis ad ciuitates applicati principia, tum vero etiam historia luculenter commonstrant. (i) Quod si igitur talia pacta inter di-

(i) Saluis maiestatis iuribus fieri potest, ut princeps, abducto milite, ciuibus suis vel eorundem parti ius indulgeat, contra hostium irruptionem sese defendendi. Eadem igitur ratione ciuibus etiam ius concedi poterit, de communi defensione, tum inter se, tum cum extraneis paciscendi. Prorsus egregia huius rei exempla Historia nobis suppeditat. De nostra enim Germania HERTIVS in *diff. de Superioritate territor.* §. 34. (in *Opuscul. Vol. I. Tom. II. p. 192.*) tales ciuium mediatorum confoederationes, accedente dominorum territorialium consensu, frequentius olim celebratas esse commemorat, et potissimum WIGVLEI HVNDII testimonio utitur, qui: *in kurzen Auszug etlicher historischer Observationen* ita pergit: „*Bündniß der Unterthanen oder Staend zu Bayern seyen etliche durch sie mit Bewilligung der Landsfürsten aufgericht, wie in den truckren Freyheiten zu finden.*“ Hodie tamen huiusmodi ciuium mediatorum confoederationes in Germania licitas non esse, utpote quarum intuitu concessa priuilegia, secundum pacis Westphalicae dispositionem irrita esse iubentur, patet ex *Capitul. Iosephi I.* §. 9. Aliud vero exemplum, quod optimo iure ad tractationem nostram reuocandum est, nobis exhibent confoederationes pagorum Heluetiae, si rei originem spectaueris, saluis Imperii Germanici iuribus initae. Quod argumentum late persequitur GOLDASTVS in *replicatione aduersus Gresserum Isuiram* cap. 41. qui Heluetios anno 1510. adhuc veros imperii subditos sese dixisse, et postea etiam a. 1576. legibus imperii mortuariis adstrictos fuisse docuit; quemque, in adstruendo nexu Heluetariae cum Imperio Romano Germanico ante pacem Westphalicam non sublato, auctorem sequitur *Perill. de LVDEWIG in Singular. Inr. publ. pag. 603—605. not. 747. et 750.*



diuersarum rerumpublicarum partes legitima, quam diximus, ratione celebrata esse ponamus, quibus initis inter coetus illos societas aequalis obtinere coeperit: tunc demum systema quoddam ciuitatum ex illis quasi exurgere poterit, ubi singuli, qui illa celebrauerunt, hominum coetus, perfectarum rerumpublicarum iura nanciscuntur. Si vero alterae ciuitatum, ad quas coetus illi spectant, partes, praetio omnium, quorum interest, consensu, ad foederis communionem accedant, plane noua opus est vnionis forma, quae nouum etiam foedus aequale requirit, quum nunc inter gentes integras non inter partes ciuitatum negotium agatur. Non vero eadem ratio obtinet in parte ciuitatis, quae iam ad veram gentis liberae conditionem euehitur. Haec enim pars ciuitatis singula omnino pacta, quae auctoritate et consensu reipublicae, ad quam spectabat, celebrauit, seruare semper tenetur, licet legitimo deinceps modo gentium liberarum iure uti coeperit. Quapropter nullum superest dubium, nouam huiusmodi gentem ad pacta etiam, quae de communi iurium ad defensionem contra extraneos spectantium exercitio, antequam ad libertatis fastigium perueniret, legitimam ratione cum extraneis celebrauit, seruanda omnino obligari. Quod enim antea, iure sibi a ciuitate, ad quam spectabat, concessio promissit, gentis liberae praerogatiuis ornata, certe non minus quam subsistente, in quo ciuitatis cuiusdam maiestatem agnoscebat, nexu, iam ex iure proprio praestare tenetur. Huiusmodi enim iurium mutatio in obligationibus erga extraneos nihil profus immutare potest. Quum vero gens noua, de qua loquimur, non diutius reipublicae, ad quam antea spectauerat, obtemperare teneatur, atque ita iam proprio iure, ex maiestate, quae ciuitatibus perfectis competit, oriundo, omnia administrare incipiat: nemo non videt, ex aequali, quam descripsimus, societate hoc in casu oriri systema ciuitatum.

§. 8.

Sequitur tractatio de iure ciuitatis vnioni systematicae sese innectendi in relatione ad obligationes, quibus respublica illa gen-



gentibus extraneis obstringitur, considerato. Obligationes autem laudatae, vel ex iure naturali, cui gentes obtemperare tenentur, vel ex pacto inter gentes rite celebrato, oriuntur. Quod ad priores obligationes attinet, illas per vnionis ciuitatum systematicae conditiones non violari, primo quouis intuitu apparet. Omnes nimirum coniunctionis leges ad communem redeunt defensionem; de nulla vero gentibus extraneis inferenda iniuria, de nulla aequalitatis, quae gentes inter liberas intercedit, turbatione loquuntur. De obligationibus autem ex pacto oriundis non plane idem dicendum est. Pactum enim seu foedus, de quo agitur, vel ciuitati ad abstinendum a foederibus cum determinatis quibusdam gentibus ineundis, vel tamen ad expectandum gentis alterius paciscentis consensum, quoties in eo sit, vt tale foedus celebretur, obligationem imposuit. Illo in casu a ciuitate, quam posuimus, nullum plane foedus, nullam societatem cum gentibus in lege foederis determinatis iniri posse, nisi gentium paciscentium altera duriores has conditiones remiserit, extra omnem possum est dubitationis aleam. Hoc vero in casu accedente alterius gentis, ad quam foedus laudatum spectat, consensu, ciuitatem per foedus illud obligatam cum determinatis rebuspublicis valide pacisci, atque ita etiam in vnionem systematicam coalescere posse, certum est. Quibus ex principiis colligimus, fieri omnino posse, vt gentes liberae, in feudali cum aliis rebuspublicis nexu constitutae, ad systema ciuitatum accedant. Quam enim mera fidelitas domino directo a Vassallis praestanda, quae cum nullo plane subiectionis nexu coniuncta est, ius gentium ciuitati, quae iam in nexum feudalem transit, competens, certa quidem ratione restringat, minime vero imperium, quo illa vititur, et singula maiestatis iura e medio tollat (quod iam BOEHMERVS in *Iure Publ. Vniu. Part. Spec. Lib. I. cap. 4. §. 17.* recte docuit; quo loco etiam in *not. d. dissentientis ARNISAEL de Iur. Maiest. P. I. c. 5. n. 20.* argumenta refutauit): societatem aequalem a tali gente cum aliis rebuspublicis recte iniri, atque ita illam vnioni quoque systematicae, saluis tamen semper domini directi iuribus sese innectere posse, satis ap-

C 2

pa-

8

paret. Quod enim obuertere nonnulli possent, obligationem reipublicae dominum feudalem directum agnoscentis, ad seruitia huic domino contra quemcunque, atque ita etiam contra socios foedere systematico iunctos praestanda, cum obligatione, quae ex vnione systematica oritur, pugnare; facile confutatur, si nobiscum reputare velimus, ne quidem feudi ligii eam esse naturam, vt vasallus ad adiuvandum dominum, qui ad bellum iniustum procedit, obligetur; (k) tum vero etiam secundum genuina iuris gentium principia, in collisione foederum numquam ad bellum iniustum, sed potius ad auxilium illi socio ferendum, qui bellum iustum mouet, adesse obligationem, quae per leges vnionis systematicae e medio tolli numquam potest.

§. 9.

His ita disputatis, definiri demum poterit, quotuplici modo systemata ciuitatum oriri queant? Quum enim systema ciuitatum nitatur pactis, quibus societas aequalis ad communem defensionem comparata introducitur; talia vero pacta, secundum principia modo adstructa, ab iis etiam celebrari possint corporibus, quae ciuitatum quidem sunt partes, non autem integras ciuitates constituunt: (§. 7.) systema ciuitatum, vel statim post pa-


k) Sicuti enim causae, ob quam ex pacto aliquid praestandum esset, iniustitia, ei, qui pactum celebravit, validam semper exceptionem praebet, cur obligationem suam iam implere nolit; ita quoque de contractu feudali idem dicendum est. Quod etiam, tum cum iis quae GROTIUS de I. B. et P. Lib. I. cap. 3. §. 23. et PERILL. DARIUS in Elem. Iur. Feud. Vniu. §. 22. Cor. 1. perhibent; tum cum ipsis iuris feudalis positui placitis conuenit, quae apud BYRC. GOTTH. STRUVIUM in Iurisprud. Feud. Cap. 16. §. 9. et PERILL. BOEHMERUM in Princ. Iur. Feud. §. 233. discussa leguntur. De principio autem Iuris Gentium, quod ad bellum iniustum obligationem confoederatis numquam imponi docet, vide sis GROTIUM l. c. Lib. II. cap. 15. §. 13. et CEL. SCHRODTIUM in System. Iur. Gentium (Pragae 1768. 4.) P. II. cap. 4. §. 23. quibus adde, si tanti putes, *dissert. nostram inauguralem (Francofurti cis Viadrum 1776.) de Pactis Bellicis inter Gentes Sect. II. cap. I. §. 23.*

pacta, de quibus loquimur, celebrata, vel alio demum facto ac-
 cedente oriri, nemo non videt. Priorem, si adesse ponamus
 casum, omnes plane coetus, qui in societatem systematicam coale-
 scunt, foederis ipsius celebrati tempore perfectarum ciuitatum
 iure uti debent. Vnde iam apparet, nihil interesse, vtrum ci-
 uitas per vim bellicam ab altera ciuitate sibi illatam coacta, an
 vero prorsus libero consilio in vnionem systematicam cum alte-
 ra republica peruenerit. Si enim bellum praecedat, status per
 vim certantium omnino e medio tolli, atque ita pace celebrata
 purgari violentia debet, antequam in systema coalescere ciuita-
 tes, quae bellum antea gesserunt, possint. Quo facto, ipsius
 pacis condiciones, quae vnionem systematicam introducunt,
 mutuo ciuitatum paciscentium consensu determinatae, tanquam
 pacta, quibus systema ciuitatum regatur, fundamentalia, sancte
 seruandae erunt. (1) Ex quo simul patet, si nulli in ipso pacis
 instrumento determinati fuerint modi, controuersias, vnitas in-
 ter ciuitates oriundas, finiendi, rerumpublicarum systematice

C 3


con-

(1) Exempla ciuitatum, quae vi bellica praecedente in vnionem
 systematicam coopatae fuerint, Heluetae potissimum historia nobis
 exhibet. Sic pagus Glaronensium in confoederationem Helueticam
 a. 1351. receptus commemoratur a scriptore domestico ALEX. IVD.
 de WATTEVILLE in *Histoire de la Confédération Helvétique* (Yver-
 don 1768.) Tom. I lib. 3. pag. 114. seq. vbi ita pergit: „Le Duc (de
 Alberto Austriae duce loquitur) fit semblant de faire entrer des trou-
 pes dans le pays de Glaris, dont il se devoit, et pour être à portée de fai-
 re des courses dans le pays de Schweitz. Ce Canton, pour éloigner l'en-
 nemi de ses frontieres, prévint ses desseins et entra à main armée au mois
 de Novembre dans le pays de Glaris, et en prit possession sans coup-férir.
 Glaris fut reçu dans la confédération des Suisses, et forma le sixième
 Canton “ Idem scriptor l. c. Tom. I Lib. 3. pag. 117. de Tugeno-
 rum pago in confoederationem Helueticorum systematicam recepto:
 „Les Glaroxnois pousferent leurs avantages, et mirent le siege devant
 la ville de Zug; et misis interiectis, vbi Albertum Ducem nulla tu-
 lisse Tugenis quae efflagitauerant auxilia, sed ipsum potius aucto-
 rem illis suuoremque extitisse, vt ad confoederationem Helueticam
 accederent, commemorat: Ils suivirent ses ordres et furent reçus dans
 la confédération Helvétique, dont ils formèrent le septième Canton (a.
 1352.).



coniunctarum alteram ab altera contra pacis tenorem laesam, huic, quoties amica compositio locum inuenire nequit, iustum inferre bellum. Si vero non statim post pacta, quorum mentionem saepe iniicimus, celebrata systema ciuitatum oriatur, illud tunc demum exsurgere, vbi omnes plane coetus, qui societate aequali iunguntur, ex iure maiestatico proprio, negotia ad communem defensionem spectantia administrare incipiunt, iam supra vidimus (§. 7.). Nulla autem adsunt iura maiestatica ante ciuitatis constitutionem. Si plures igitur societates Nondum aequales communis defensionis gratia sese coniunxerint: in singulis illis societatibus imperium exoriri debet, antequam systema ciuitatum exsurgat. Si vero coetus ciuiles adesse ponamus imperio subiectos, tunc demum vnio adest systematica, vbi singuli coetus perfectarum ciuitatum iuribus vti incipiunt. Quod, quotuplici ratione fieri possit, iam discipiamus. Aut enim ad legem commissoriam principis, cui coetus illi parent, imperium adstrictum est, aut non. Priore in casu in libertatem iure quasi postliminii redeunt, statim atque ille, penes quem in ciuitate, ad quam pertinent, summa rerum est, tale quid contra eos molitur, quo ipso in legem commissoriam incidat. (m) Posteriore in casu, vel soli principi eiusdemque familiae, si vnionis originem spectaueris, acquisitum est in coetum illum ciuilem

m) Notandum tamen est, quum in libera coetuum ciuiliu voluntate positam sit, vtrum principi, qui in legem commissoriam incidit, in posterum quoque parere velint, nec ne? maioris solemnitatis gratia accedere vtrplurimum debere expressam populi declarationem in qua ob iniusta imperantis molimina, ad libertatis naturalis statum sese rediisse profiteatur. Sic, quum teste *AGYLAEO de inauguratione Philippi II. pag. 148.* Philippus II. ad leges fundamentales Belgii sancte seruandas sub lege commissoria se suosque heredes obligasset, Belgae foederati, vt eo clarius appareret vnionis Traiectinae anno 1579. d. 29. Ian. initae iustitia, in peculiari scripto publico, quod a. 1581. publici iuris factum est, Philippum II. Regem ob violatas legum fundamentalium sanctiones, et improbe subuersa ordinum priuilegia, imperio excidisse, docuerunt. Quae declaratio legitur apud *DV MONT in Corps diplomatique Tom. V. P. I. pag. 413.*



lem imperium, vel integrae potius reipublicae. Illo in casu legitimo imperantis/consensu, vel post extinctam familiam regnatricem; hoc in casu, non nisi praeuio ipsius reipublicae consensu, libertatis praerogatiuas coetus ciuilib, de quo loquimur, consequi poterit. In genere autem de singulis, quos enumerauimus, casibus notandum est, coetus ciuiles quoscumque, dissoluto, cui hactenus obtemperarunt, imperio, in pristinam redire libertatem, atque ita in singulis hisce coetibus imperium et maiestatem constitui debere, antequam systema ciuitatum oriri possit. Quibus ex principiis iam perspicuum est, inter plures prouincias quae eidem imperanti parent, numquam in occulto, pactis hoc nomine non celebratis, systema ciuitatum oriri posse; quod ROEHMERVS in *Iure Publ. Vniu. Part. Spec. Lib. I. cap. III. §. 28. et in notis* voluit. Quibus ita discussis, iam ad iurium et obligationum, quibus ciuitates systematice coniunctae vtuntur, nos conuertimus explicationem.

CAPVT II.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS CIVITATVM NE-
XV SYSTEMATICO CONIUNCTARVM.

§. 10.

Ciuitatum confoederatarum systema, nullum admittere subiectionis nexum, quo altera ex vnitis rebuspublicis alterius imperio deuinciatur, satis, vt opinor, ex iis, quae hactenus a nobis disputata sunt (§. 5 et 6.), apparet. Quum tamen ex ipsa vnionis formula, ciuitates systematice coniunctae ad communem defensionem obligentur; huius autem gratia, iurium, quae vocant, maiestaticorum quorundam exercitium, communi consilio administrandum introducatur: (§. 6.) laudati exercitii intuitu singulas ciuitates subordinatas esse ipsi systemati, certum est. Ex quo fluit, non omnia omnino, quae ex imperio ciuili oriun-





orientur, iura, in singulis ciuitatibus pro lubitu eorum, qui illis praesunt, exerceri posse. Quapropter primo loco de iis, quae ad regimen systematis ciuitatum commune spectant, quaeque secundum eam, quam euoluimus, notionem ad illud spectare possunt; deinde vero de imperii, quod singulis competit rebuspublicis, ad vnionem systematicam habitu, dispiciendum erit.

§. II.

Iura ex maiestate oriunda, quae tum ad internam reipublicae constitutionem, tum ad negotia cum gentibus extraneis administranda spectant, eius esse indolis, vt de exercitio eorum certa ratione restringendo, ciuitas, saluo, quo gaudet, gentium liberarum iure, pacisci possit, in procliui est. Omnia enim pacta, quae iura tantum et obligationes inter ciuitates paciscentes definiunt, et nullum tamen introducunt subiectionis nexum, genti, cui ex ipso pacto ius quaesitum est, facultatem indulgent alteram gentem cogendi ad pactum seruandum, et ad ea, quae placuerunt, praestanda. Toto autem caelo ius illud cogendi ab imperio differt. Jam vero in systemate ciuitatum iurium quorundam maiestaticorum exercitium ita restrictum esse diximus, (§. 6.) vt illud certa ratione non ad singulas ciuitates, sed ad omnes prorsus coniunctim consideratas spectet. Quum igitur iurium maiestaticorum exercitium ab ipsa iurium illorum proprietate probe distinguendum sit: exercitii restrictionem, de qua loquimur, nullam inuolucere iurium imperii alienationem, atque ita nihil impedire, quo minus singulae ciuitates vnitae rerumpublicarum perfectarum iura retineant; quin etiam iisdem iuris maiestatici, quod ad finem communis defensionis non nisi praeiudicium omnium consensu administrari potest, exercitium prorsus liberum, alio respectu saluum manere posse, nemo non intelligit.


§. 12.

Ex iis, quae praecedunt, singula iura maiestatica ita comparata esse, ut exercitii eorum intuitu societas quaedam inter plures ciuitates aequalis introduci possit, abunde apparet. (§. 11.) Quum vero omnia, quae nouimus, ciuitatum systemata communem hunc characterem seruent, ut iurium maiestaticorum transeuntium exercitium, ad communem securitatem atque defensionem componendum, integro societatis aequalis corpori committatur, primum de iuribus et obligationibus, quae, tum ex hac suprema vnionis systematicae lege fluunt, tum cum eadem conueniunt; deinde, de limitibus potestatis, quae corpori integro ciuitatum vnitarum circa iura maiestatica immanentia, ad defensionem communem non spectantia, conceditur, dicemus. Ad defensionem autem, de qua loquimur, contra gentium extraneorum iniurias, ex vniuerso iurium maiestaticorum ambitu Ius Belli maxime facit. Hocce itaque ius, quatenus ob praescriptam defensionis mutuae legem fieri debet, omnino primum est, quod ciuitates systematice vnitae, communi omnium consilio atque consensu exercere iubeantur. Sed, quum commune iuris belli exercitium commode expediti nequeat, nisi foedera etiam, quibus vires ad bellum feliciter gerendum augentur, et pacis tractatus, quatenus vniuersam vnionem respiciunt, ciuitatum omnium coniunctarum nomine celebrentur: iam patet, tum ius foederum et pacis, tum vero etiam ius mittendi legatos, ut pote qui negotiis cum gentibus extraneis peragendis vnice inserviunt, eo, quem diximus, respectu non nisi ab integro ciuitatum systemate administrari posse. (n) Quibus ex principiis col

n) Quaestio oriri potest de repressaliis; cuius nimirum in systemate ciuitatum ius competat illas exercendi? Ius repressaliarum autem absoluitur iure imperantis, iniustitiam a gente extranea contra ciuitatem suam, eiusque ciues singulos proditam, mediis idoneis re-

pri-

D



colligitur: 1) communi semper omnium ciuitatum suffragio opus esse, si de bello, pace, foederibus et legationibus, quatenus communis defensionis normam respiciunt, statuendum sit; atque ita 2) nec cum legatis a gentibus extraneis negotiorum, quae ad totum systema spectant, expediendorum gratia missis, nisi a toto corpore systematico, non autem a singulis ciuitatibus agi posse. (o) Vi-

primendi. Quas repressalias ab ipso bello recte distinguunt GROTIUS in *I. B. et P. Lib. III. cap. 2. §. 2. in nos. PVFENDORF. de Off. hom. et ciu. Lib. II. cap. 16. §. 10. BOERMERS in I. P. V. Parr. spec. Lib. II. cap. I. §. 48. et 49. Perill. DARIUS in Obs. Iur. Nat. Soc. et Genr. obs. 58. Perill. L. B. de WOLFF in Inst. I. N. et G. §. 1162. et LVD. MART. KAHLIUS in thes. Iur. Nat. et Genr. de Repressaliis (Goeringae 1740.). Jam vero, si de huius iuris exercitio in systemate ciuitatum quaestio proponatur, omnino distinguendum est, vtrum laesio ad totum corpus spectet systematicum, an vero ad ciuitatem quandam singularem? Illo in casu facile apparet, ius repressalias exercendi pertinere ad negotia ciuitatum vnitatum communia, atque ita omnium ciuitatum consensu ad repressalias exercendas opus esse. Hoc in casu, quum ciuitates singulae, si a negotiis communibus discedamus, iuris gentium exercitium integrum atque liberum conseruauerint, ius etiam repressaliarum ab iis recte exerceri, res ipsa docet. Sic singulae Belgii foederati respublicae teste BUNKERSHOEKIO in *Quaest. Iur. Publ. Lib. I. cap. 24.* in causa propria iure repressaliarum vtuntur; in causis vero ad totum systema pertinentibus, omnium quoque ciuitatum consensu accedere debet, antequam exerceri repressaliae possint,*

o) Haec ita obseruata esse in systematibus ciuitatum quin etiamnum obseruari, multa exempla docent. Sic apud Aethiopes de his potissimum causis in populorum omnium conuentu deliberatum fuisse, testis locuples adest POLYBIUS in *Excerpt. Legationum cap. 42.* dum ita pergit: *ὅθεν γὰρ εἶναι παρὰ τοῖς Ἀχαιοῖς, μὴ συναλεῖν τὸς πολλοὺς, εἰ μὴ περὶ συμμαχίας ἢ πολέμου δεῖν γίνεσθαι διαβούλιον, ἢ παρὰ συγκλήτου τις ἐνέγκη γράμματα.* De Belgii foederatis ex ipsis Vnionis Traiectinae tabulis (quae leguntur apud VV MONT in *Corps diplom. Tom. V. P. I. pag. 322.*) art. 9 et 10. patet, in eorum systemate omnium ciuitatum vnitatum consensu opus esse, ad pacem, bellum, inducias et foedera. In systemate Heluetico idem fere obseruari iam inde a prima illius origine, confoederationis inter tres pagos Vriam, Suintios, et Vnterualdiam, a. 1315, celebratae tenor docet, apud WATTEVILLIUM

Videmus igitur regalium transeuntium, quae vocant, exercitium commune, cum mutuae defensionis lege arctissime cohaerere. Obligatio vero ad finem ius etiam indulget ad media, quae, si non adhibeamus, fieri numquam potest, ut finis ille obtineatur. En rationem, ob quam, tum suprema militiae ad bellum commune spectantis cura integro corpori systematico vindicanda sit, tum vectigalium et tributorum, a singularum rerum publicarum ciuibus ad ferendos negotiorum communum sumtus exigendorum, determinatio, ad omnes ciuitates coniunctim consideratas spectet. (p) Non enim ciuitates singulae qualiumcumque militum manunt ad bellum, quod omnibus imminet, mittere, nec; quantum sibi videatur, ad sustentanda belli illius onera conferre possunt; sed facta potius omnium, quae impendi debent, aestimatione, ab vniuerso ciuitatum corpore definiendum est, quantum illarum quacuis conferre teneatur.

§. 13.

Negotiorum, quae modo determinauimus, communium administratio, quo minus a ciuitatibus vnitis in certum collegium

D 2

trans-

LIVM I. c. T. I. lib. 3. p. 94. ibi: *Ils s'engagent à ne point faire d' Alliance, ni à entrer dans aucune négociation à ce sujet sans l'aveu les uns des autres.* Plenius rem exponit SIMLERVS de Republ. Helueticor. Lib. II. pag. 54. (in *Thes. Histor. Helvet.*) quo loco: *Primum, inquit, ex praecipuum (scilicet: concilii caput) belli et pacis arbitrium; idque in plerisque foederibus sancitum est, ut, si alicui pago grauis iniuria illata sit, quam bello persequendam censcat, de ea prius ad senatum confoederatorum referat, ut illi statuans, an iusta sit belli causa, ne temere et leuibus de causis bella moueantur.*

p) Systematis ciuitatum, in quo vectigalia, quatenus ad onera communia ferenda spectant, communi consilio administrantur, exemplum, habemus in Belgio foederato. In hoc enim systemate Consilio Status (de Raedt van Staten), quod senatui ordinum generalium subordinatum est, et rei quoque militari atque munitionibus urbium prospicere iubetur, curam tributorum a singulis prouinciis ad sustentanda onera communia conferendorum (quorum proportio quod ad singulas ciuitates a 1612 et 1616. determinata fuit), mandatam esse, legimus in EV. OTTONIS *Nozit. Praecip. Europae Rerump. Cap. VI. §. 32.* et in GODOFR. ACHENWALLII *Staatsverfassung der heutigsten vornehmsten Europäischen Reiche und Völker. Sect. V. §. 28.*

transferri queat, nihil impedit; quin potius hanc negotia illa expediendi rationem, multa, quae vnioni systematicae per eam conciliantur, commoda, suadent. Vix enim fieri potest, vt singuli coetus, qui systema ciuitatum constituunt, integri omnes conueniant, quoties de negotio quodam communi agendum est. Naturali itaque ratione concilium quoddam instituitur, cui negotiorum, quae ad vnionem integram spectant, cura demandetur. De cuius concilii iuribus iam exponendum est. Quum igitur ciuitatum coniunctarum singulae iura aequalitatis naturalis inter se retineant: eos etiam, quos ad concilium illud mittunt, deputatos, legatorum vice defungi, atque ita nullum ex iis reliquis imperare posse, facile consequitur. Omnes potius iura ciuitatum, a quibus missi sunt, exercent, nec mandati, quod illis praescriptum est, limites excedere possunt. Non enim singularum ciuitatum iura in hoc concilium translata sunt, sed maiestas, tamquam fons omnium, quae expediuntur, negotiorum, in quacumque republica residet, et ea demum, quae maiestati placuerunt, singuli, de quibus loquimur, deputati ad reliquorum noticiam deferre queunt. (q) Ex quo colligimus, concilii illius qui-

q) Hanc concilii, quod negotia systematis communia procurat, indolem, historiae monumenta luculenter commonstrant. Sic collegii Amphictyonici assessores non fuisse nisi legatos ciuitatum qui systema Amphictyonicum constituebant, nos docet STRABO, *Lib. VIII. p. 420.* vbi ita pergit: *ἀί μὲν ἐν πρώτῳ δώδεκα συνέδρων λέγονται πόλεις ἑκάστη δ' ἔπειτα Πολυγόραν δις κατ' ἔτος ἕσας τῆς συνέδου ἑαρόε τε καὶ μετόπισθε.* Quod etiam ostendit systematis Amphictyonum origo, quam exposuit PAVSANIAS in *Phocicis pag. 622.* (*edit. Hanouiensis a. 1613.*), Idem PAVSANIAS de Achaeorum concilio in *Achaicis pag. 409.* similia memoriae prodidit his verbis: *συνεδρίον τε ἐν Ἀχαιῶν κληόμενον, καὶ ἀπὸ κοινῆς λόγῳ βουλευμάτων τε ἢ Ἀχαιοῖς καὶ τὰ ἔργα.* Et paucis interiectis: *Ἕλλησιν δὲ τῶν λοιπῶν Σικυωνίοι συνέδρις πρῶτον τῷ Ἀχαιῶν μετέσχευον.* Quibus ex verbis iisque, quae l. c. sequuntur, satis liquet, Systema Achaicum fuisse societatem rerumpublicarum aequalem et systematicam. Non enim in ditionem Achaeorum redactos fuisse Sicyonios et alios, sed illos tantum consultationum, quae de negotiis communibus in concilio Achaico fieri solebant, factos fuisse participes, Paulania

quidem esse, negotia communia procurare, non vero de iisdem statuere; atque ita a communi omnium civitatum consensu pendere modi, quo ad laudata negotia concurrere debeant. singulae

D 3

rias l. c. commemoravit. Quod ad recentiora systemata attinet, pagorum singulorum deputatos in concilio Heluetico non ipsos de negotiis communibus decernere, sed in omnibus adstrictos esse ad ipsorum pagorum placita, discimus ex WATTEVILLIO l. c. Tom. I. lib. III. p. 119. ibi: „Ils ne réglèrent d'abord dans ces Assemblées que leurs affaires particulières. Enfin les Princes voisins, quand ils avoient des propositions à faire à la nation, y envoyèrent leurs Ministres, et les Diètes devinrent le centre des négociations en Suisse. Les affaires qui concernent l'intérêt général de la Nation ne se décident pas dans ces assemblées à la pluralité des voix; les députés de chaque canton y apportent leurs instructions particulières.“ Idem auctor de systematis Rhaetici concilio l. c. T. II. lib. X. pag. 112. ita pergit: „On y porte les intérêts de tout le Corps, les Alliances et ce qui regarde les sujets communs. Les affaires s'y décident à la pluralité des suffrages, à zeneur des instructions, que chaque Communauté donne à ses Députés.“ In Belgii foederati systemate singularum civitatum ordines de negotiis communibus constare, nec ordinibus generalibus, quos vocant, ultra mandati, quod a rebuspublicis suis singuli acceperunt, limites, quidquam movendi ius esse, egregie docent EV. OTTO in *Notiz Rerump. cap. 6. §. 31. et 37. et ACHENWALLIVS l. c. Sect. V. §. 36. et 37.* qui summam rerum penes ordines generales (Vergadering der Staaten General of Algemeene Staaten) non esse, sed potius in singulis rebuspublicis vnitatis residere, ex eo recte infert, quod in causis extraordinariis convocari nonnumquam soleant integri singularum civitatum ordines (de Groode Vergadering). Haec iam, ut opinor, sufficienter ad ostendendum, systema civitatum non esse unam rempublicam, sed potius corpus ex pluribus rebuspublicis, quae in societatem aequalem certorum negotiorum intuitu coaluerunt, conflatum. Vbi enim inter societatis cuiusdam membra aequalis observatur iurium et obligationum ratio, nulli certe sociorum, imo nec omnibus reliquis sociis, in alterum socium iura quaedam tribui poterunt, praeter ea, quae ex ipso pacto, quod societatem aequalem introduxit, oriuntur. Sicut autem obligatio ad ea praestanda, quae pacto placuerunt, nullam subiectionem imponit, ita nec ius cogendi alterum socium ad pacta servanda involuit imperium. Quae argumenta ad systemata civitatum recte omnino trahuntur. Ipse enim B. JOACH. ERDM. SCHMIDT in *Exerc. de civit. Orig. civitat. system. Sect. I. §. 79.* Imperium



respublicae, determinationem. Jam vero, quum aequalia sint omnium ciuitatum iura, ad ea demum singulae respublicae cogi poterunt, in quae communi suffragio omnes per deputatos suos ad concilium missos conserunt. Obligatio enim perfecta quaecumque, si naturam ipsam spectaueris, aut immediate ex lege

in societate aequali defensionis causa introducta oriri non posse, nisi ex pacto, concedit, quum tamen systema ciuitatum pro vnica ciuitate habere malit. Jam vero, vt contra virum illustrem disputemus, ciuitatum nexu systematico coniunctarum singulae sua habent imperia, nonnullorum autem iurium, quae ex imperio oriuntur, exercitium vi pacti certa inter se ratione communicant. Sed nouum ex hac vnione imperium originem trahere, nec historiae monumenta nec iurisprudentiae vniuersalis principia docent; quum potius ius alterum socium cogendi ad obtemperandum pactis fundamentalibus ex ipsa oriatur societate aequali, non ex Imperio. Non igitur calculum nostrum adiicere possumus V. C. SCHMIDTIO dum *l. c. S. I. §. 115, 117 et 118.* ex communi iuriam maiestaticorum exercitio efficere conatur, iura etiam maiestatica ipsa nonnisi ad integrum corpus systematicum spectare, atque ita systema ciuitatum vnica esse ciuitatem, in qua vnicum nonnisi imperium deprehendatur, pronunciat. Nec contra nos faciunt, quae Vir, dum viueret, doctissimus *l. c. Sect. I. §. 113.* obuertit, fieri nimiram non posse, vt systema ciuitatum a rebus publicis merae defensionis communis causa confoederatis distinguatur, si ciuitates singulae perfectae respublicae statum retinere ponamus. In portu iam nauigamus. In tali enim foedere nulla deficiunt iura maiestatica, quae communi non nisi consilio et accedente omnium confoederatorum consensu in certo respectu exerceri possint; seu, vt breues sumus, ex huiusmodi confoederatione nullus oritur status, quem tamen in systemate ciuitatum adesse, iam supra (*§. 6.*) docuimus. Quibus argumentis hoc addimus, nec tale pactum ciuitatis maiestatem e medio tollere, quo vniuersum nonnullorum regaliu exercitium in gentem extraneam transfertur. Non enim iure suo excidit, qui praenio pacto ab alio quodam illud exerceri patitur. Exemplum nobis sinit Drentia, quae ciuitas, licet in communi Belgii federati concilio iure suffragii non utatur, ipsius tamen vnionis Traiectinae est membrum, atque tributa onerum communium sustentandorum gratia confert, minime vero nexu quodam subiectionis corpori rerumpublicarum systematico deuincitur, sed omnia potius ex pacti inter aequales initio tenore et agit. et patitur, vid. *EV. OTTO l. c. C. VI. §. 32. et ACHENWALLIUS l. c. S. V. §. 33.*

lege oritur, aut non, sed ex facto hominis, et hoc in casu, vel ex turbatione nascitur, vel ex pacto. Ex lege oriri obligatio ad obtemperandum singularum quarundam ciuitatum placitis, reliquarum gentium, quae systema constituunt, intuitu, non potest, quia ipsa naturae lex aequalitatem inter gentes liberas semper obseruari iubet. Quod ad turbationem attinet, nec ex ea nasci laudatam obligationem, facile apparet. Ciuitates enim singulae, dum consensum suum denegant iis, quae reliquis rebus publicis vnitis placuerunt, iura earum non turbant, quum in ipso pacto, quod vnionem in medium protulit, non singulis ciuitatibus sed integro earum corpori datum sit ius de negotiis communibus statuendi. Ex pacto itaque est, si in concilio ciuitatum per maiorem suffragiorum numerum de communi, quod in vnionis formula placuit, regalium exercitio statui possit. (r) Quale pactum,

si

r) His argumentis eorum, qui in societate constituta naturalem adesse partis minoris obligationem ad obtemperandum partis maioris placitis, sententia satis, vt opinor, refellitur. Quae enim GROTIUS in *L. B. et P. Lib. II. cap. 5. §. 17.* et in *Apologet. cap. 8. ac HENRICVS de COCCEII in diss. de eo quod iustum est circa numerum suffragiorum Sect. I. §. 1—13.* in medium proferunt argumenta, speciosa quidem sunt, fateor, sed ita tantum comparata, vt proficuum quidem esse societatibus ostendant, si secundum maiorem suffragiorum numerum negotia administrantur, nullam vero obligationem naturalem, quae hoc suggerat, euoluant. Propius ad veritatem accedit insignis philosophus Perill. DARIUS in *Inst. Iur. Vniu. §. 762. III.* quo loco maiorem suffragiorum numerum, tunc demum decernere pronunciat, vbi de negotio agitur, quod ipsius societatis scopus requirit. Sed, quum ad ea, quae scopus societatis iniungit, nouo sociorum consensu opus non sit, vtpote quem iam ab initio interposuerunt, hoc in casu singulos socios ipso iure ad negotium illud expediendum obligari, neque adeo suffragia eorum expectanda esse, iam in s^{pho} monuimus. Non tamen calculum nostrum adicere possumus VVENDORFIO in *diss. de Syst. Civ. §. 18.* qui recte quidem naturalem adesse obligationem ad recipiendum maioris partis placitum negat, sed simul in systematis ciuitatum concilio secundum maiorem suffragiorum numerum nulla prorsus negotia expediri posse statuit. Quod enim ad probandam hanc opinionem laudat, argu-

men-

si interpositum non fuerit, communis omnium ciuitatum obligatio tunc demum exoritur, vbi, aut secundum ipsam vniionis legem adesse iubetur, aut eiusdem plane tenoris sunt ciuitatum omnium suffragia ad concilii notitiam delata. Defensio autem communis suprema in ciuitatum systemate lex est. Patet igitur, ciuitates, quae in systema coaluerunt, omnes ipso iure obligari ad propulsandum, quod iam ab extranea gente infertur, bellum. Hoc enim bellum, quum iam adsit, nullo, ad illud gerendum, decreto, nullo opus est consensu a singulis ciuitatibus interponendo; ita, vt singulae potius respublicae vnitae, quae auxilio et militibus, reliquis ciuitates in bello iam flagrante adiuuare recusant, pro foedifragis habendae sint, atque a caeteris rebus publicis, ad seruandum, quod celebrauerunt, foedus iuste cogi possint. Quibus ex principiis perspicuum est, quaenam proprie negotia in communi ciuitatum concilio procuranda, quaeque ciuitatibus singulis iura in illo tribuenda sint? Ad pactorum enim, quae inter ciuitates vnitae celebrata sunt, tenorem, et si haec forte

mentum, sine imperio nimirum maioris partis in minorem, concipi non posse huius obligationem ad agnoscendam illius voluntatem, tamquam communem, facile concidit, si reputare nobiscum velimus, tum pacto inter aequales inito valide semper definiti posse, vt alter pactiscentium ius habeat alterum ad aliquid cogendi, nec tamen hoc pacto illi deferri imperium (*nor. q.*); tum pactum de vi obligandi maiori suffragiorum numero attribuenda, vere inuoluere compromissum in voluntatem maioris partis. Huiusmodi autem compromissum salua aequalitate naturali, atque ita etiam sine vilo subiectionis nexu a ciuitatibus, quae in systema coalescunt, definiti posse, nemo non intelligit. Exempla systematum, in quibus certarum causarum inuirtu plurima suffragia concludant, quum ad alia negotia communis omnium consensus requiratur, in promptu sunt. Sic in systemate Rhaetico secundum maiorem suffragiorum numerum negotia expediri; in communi autem Heluetiae concilio, ratione eorum, quae totius systematis salutem respiciunt, communi non nisi consensu quidquam definiti posse, iam supra (*nor. q.*) vidimus. In Belgio Foederato per *Vniion. Traiecti. art. 9.* ad bellum, pacem, inducias, et tributa onerum communium gratia conferenda, communis omnium consensus requiritur; reliqua vero negotia secundum maiorem suffragiorum numerum administrantur.

forte non adsint, ad ipsa iuris naturae et gentium principia recurrendum est, quocies de eo agitur, ut, tum conciliis illius indolem, tum rerum publicarum ipsarum, et deputatorum, quos miserunt, iura, definiamus. Sic omnium prorsus ciuitatum consensu determinandum est, vtrum perpetuum haberi concilium, an vero certis demum temporibus conuocari debeat, et quoniam in loco consultationes instituendae sint? Eadem etiam ratione fieri potest, ut negotia vnionis non vni concilio, sed pluribus collegiis, quae vel singula immediate a corpore systematico pendere queant, vel quorum alterum subordinatum sit alteri, et huius directioni obnoxium, administranda demandentur. (s) Quod denique ad deputatorum, quos ciuitates singulae mittunt, iura attinet, partim ea ex haecenus disputatis liquent, partim redeunt ad definitionem quaestionis, quemnam deputati superiores agnoscant? Si enim pacto expresso circa hanc quaestionem aliquid definitum fuerit, fieri omnino potest, ut legati illi a iurisdictione singularum, quae illos miserunt, ciuitatum eximantur, et, ut causae eorum, non nisi totius corporis systematici, eorumue,

s) Fieri potest, ut ad cuiuscumque iuris maiestatici, quod inter gentes vnitas communicatur, exercitium, peculiare quoddam collegium constituatur. Sic apud foederatos Belgas tria huiusmodi collegiaprehenduntur; 1) ordinum generalium concilium (*de Staten General der Vereenighde Nederlanden*). 2) Consilium status (*de Raede van Staten*) quod a senatu ordinum generalium dependet, et, praeter ea negotia, quae iam supra (*not. p.*) recensuimus, domania quoque et Brabantiae tributa curat; et 3) camera rationum (*de Generale Reekenkamer*) ordinibus generalibus itidem subordinata, quae cum consilio status quodammodo concurrat. Singulare est, quod in consilio status Hollandiae tria, Zelandiae, Frisiae et Groningae quaeuis duo suffragia, reliquae vero prouinciae, vnum quaecumque votum habeant. Quum enim priores ciuitates ad onera communia plus conferant quam posteriores: recte aequum visum est systematis Batavi conditoribus, aliquantum plus iuris quoque iis tribuere in collegio, quod oneribus communibus prospicit. cf. EV. OTTO *l. c. C. VI. Sect. V. §. 32. et ACHENWALL l. c. S. V. §. 38 et 67.*



rumue, quibus integrum systema hoc negotium demandauit, de-
cisioni subiiciantur. Vnde iam patet, non ex ipsa systematis na-
tura descendere, si vel concilium rerumpublicarum commune a
singulis ciuitatibus peculiari in hunc finem auctoritate instructum,
vel aliud deputatorum collegium, vel denique iudices compro-
missarii, causas legatorum, de quibus loquimur, dirimere iube-
antur. Nullo autem huius tenoris pacto interposito, quum de-
putati mandatiorum tantum partes sustineant, nec eo ipso,
quod splendidis forsan titulis superbiant, libertatem naturalem
consequantur, multo autem minus ciuitatibus suis imperare in-
cipiant, sed potius illarum maiestatem tamquam subditi venerari
teneantur: facile consequitur, contra illos coram illius iudicis,
quem antequam legatorum officio ornarentur tamquam compe-
tentem agnoscebant, tribunali, actiones omnino moueri pos-
se. (t)

§. 14.

Eadem prorsus ratione, qua in iis, quae praecedunt, (§. 3)
fieri posse docuimus, vt in societate aequali membro cuidam di-
re-

t) Sic, vt vno tantum exemplo vtamur, in Belgii foederati syste-
mate, pactitiae, quas recensimus determinationes non obtinent, sed
quilibet potius deputatus reipublicae, a qua missus est, perfectus
subditus manet: quod recte animaduertit ACHENWALL *l. c. S. V.*
§. 36. et §. 43. quo posteriore loco titulos deputatis seu ordinibus
generalibus dari solitos recenset. Vnica quaestio discutienda restat,
cuiquam nimirum in systemate ciuitatum demandanda sit prouincia-
rum, a toto corpore et coniunctis omnium viribus subactarum, ad-
ministratio? Quiuis autem videt, nisi aliud quid placuerit, hanc cu-
ram spectare ad commune totius systematis concilium. Hoc ita in
Heluetia obseruari, testis est WATTEVILLIUS *l. c. T. I. lib. III, p.*
119. vbi de negotiis ad commune foederatorum concilium spectanti-
bus ita pergit: „*Les appels, les affaires de Finance, et ce qui concerne*
en général le gouvernement des pays que les Cantons possèdent en com-
mun, se décident à la pluralité de voix.“ In Belgio foederato supre-
mum prouinciarum bello acquisitarum regimen ad ordines generales
spe-

rectio negotiorum communium conferatur, in systemate etiam ciuitatum director aliquis constitui poterit, et tantis ornari iuribus, quae, si ad ea magis, quae apparent, quam ad rem ipsam, respiciamus, in grauissimos nos deducere errores possunt. Quum igitur negotia rerumpublicarum coniunctarum communia in concilio, de quo diximus, (§. 13.) procurentur, ipsius iam systematis commodum deponere videtur, ut aliquis adsit, qui deputatorum consultationes suo moderamine dirigat, suffragia a legatis recitanda colligat, et tandem commune conclusum confici curet. Has autem praesidis vel directoris partes, tam a persona mystica, quam ab vno homine sustineri posse, ex iis, quae praemisimus, (§. 3.) perspicuum est. Sic etiam liberae ciuitatum vntarum dispositioni relicta est, vtrum praesidem illum in perpetuum, an vero ad certum tantummodo tempus officio, quod gerit, ornare velint. (u) In genere autem nihil prorsus directori licet, quod cum aequalitate naturali pugnet, qua republicae coniunctae vntur, utpote quae vnica norma est, ad quam omnia, quae in ciuitatum systemate fiunt, exacte componantur. Fieri tamen omnino potest, ut, vel praesidis, de quo loquimur, iura insigni quadam ratione, saluis illis limitibus, augeantur; vel praeter eum alia etiam persona constituatur, cui e-

E 2

gre-

spectare, quibus, quod ad tributorum collectionem, subordinatum est status consilium (nor. s.) EV. OTTO l. c. C. VI. S. V. §. 31 et 32. et ACHENWALL l. c. S. V. §. 36. docent.

u) Sic in systemate Helueticum deputatis pagi Tigurini, iam a. 1352. reliqui pagi directorium in communi totius corporis systematici concilio detulerunt, teste WATTEVILLIO l. c. T. I. Lib. III. p. 112. qui etiam Tom. II lib. X. p. 114. in Vallesianorum systematis concilio Episcopum Seduni perpetui praesidis partes sustinere, auctor est. De Belgio foederato, in senatu ordinum generalium singulis solis diebus praesidem mutari, eumque ordine, quo prouinciae inter se vntur, obseruato, ex primis illarum deputatis sumi; in status autem consilio per vices hebdomadam duodecim viros, qui illud constituunt, directoris munere fungi, ex EV. OTTONE l. c. §. 31. et 32. et ACHENWALLIO l. c. §. 37 et 38. discimus,



gregia quaedam iura circa negotiorum communium administrationem, indulgeantur; quibus tum nexus systematicus confirmetur, tum ipsi systemati maior apud extraneas gentes splendor concilietur. (x) Quod ad primum, quem posuimus, scopum attinet, cum systematici natura optime conuenire nexum feudalem, singularum ciuitatum intuitu, in relatione ad totum corpus systematicum, introducendum, certum est. Huiusmodi enim nexu introducto systema integrum domini directi iura consequitur, ita, vt alterius ex vnitatis ciuitatibus imperantem feloniam reum, feudo suo priuare possit. Iurium autem, quae ex dominio directo feudali oriuntur, exercitium, principi foederis seu systematici ipsius directori, de quo sermo nobis est, demandari potest, qui tunc pro domino feudalis, quem vocant, vices gerit. Quo facto, euenire non posse, quin concessis pro domino illi feudali eminentioribus, quae salua cuiuscumque reipublicae maiestate concedi queunt, iuribus, apud gentes extraneas etiam sy-

x) Hanc personam H. GROTIUS de I. B. et P. Lib. I c. 3. §. 21. non incommode, petito ex Daniel. XI, 22. (ibi: כנגיד ברית) vocabulo, principem foederis dicit. Exemplum huiusmodi principis ex antiqua historia Achaeorum systema nobis praebet, de quo POLYBIUS Hist. Lib. II. c. 43. sequentia memoriae prodidit: Έλικσι μὲν ἂν ἔην τὰ πρῶτα καὶ πέντε συνεπολιτεύσαντο μετ' ἑαυτῶν αἱ περιεγμέναι πόλεις, γραμματεῖα κοινὴν ἐν περιόδῳ προχειρίζουσαι, καὶ δὴ τριτηγὰς μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἔδοξεν αὐτοῖς εἶνα καθιστάνειν, καὶ τῶτο πιστεύειν ὑπὲρ τῶν ἄλλων. Nostro aeuo illustre et notissimum exemplum habemus in Principe Arausionensi, supremo Belgii foederati gubernatore, cui, tam ab integro systematici corpore, quam a singulis ciuitatibus summi militiae terrestris aequae ac naualis ducis honores a. 1747. hereditario iure delati sunt; ita, vt omnes personae militares non tantum ordinibus sed etiam gubernatori sacramentum fidelitatis praestare iubeantur. Praeterea vero idem gubernator hereditarius (Erftadhouder) ius habet leges ad executionem promouendi, in iustitiae atque politicae administrationem inspiciendi, nonnulla in singulis ciuitatibus officia conferendi, aliisque praerogatiuis ornatus est; tandem vero etiam in consilio status iure sessionis et suffragii gaudet. De quibus omnibus vide ACHENWALLIVM l. c. §. 38. et 39. et Anonymi librum: *A parallele between the Power of a King of England and that of a Starholder of the United Provinces* (London 1751. 8. et *ibid.* in idiomate Gallico 1755. 4.)

stematis existimatio angeatur, nemo non intelligit. Sed, licet nexus feudalis non introducatur, ad utrumque tamen scopum obtinendum, communi ciuitatum consensu princeps quidam foederis constitui potest, cui summa in diuersis negotiis demandetur auctoritas. Hunc in censum, vt pauca tantum adducamus, veniunt, ius controuersias inter singulas ciuitates exortas decidendi, ius rei militari, quatenus ad integrum systema spectat, prospiciendi; ius a militibus sacramentum fidelitatis exigendi; et alia plura, quae, quum per pacta fundamentalia determinanda sint, singula enumerare non possumus.

§. 15.

Jam discussis, quae ad iurium maiestaticorum transeuntium exercitium in systemate ciuitatum spectant, principiis, ad alias, quae de regalibus immanentibus oriri possunt, quaestiones, nos conuertimus. Probe autem cauendum est, ne iusto latiores iuribus integri corporis systematici in singulas respublicas limites assignemus. Ciuitatis enim perfectae status requirit, vt actus, qui in ea vi iuris maiestatici immanentis expediuntur, a nullo prorsus extraneo rescindi iure imperii possint. Ex quo sequitur, pactum, quo inter ciuitates nexu systematico coniunctas definitur, vt ea, quae altera ciuitas vi maiestatis suos intra fines egerit, hac licet renuente a reliquis rebuspublicis iure imperii rescindi queant, cum natura systematis ciuitatum pugnare. Huiusmodi enim pactum subiectionis nexum introducit, a quo tamen singulae, quae in systema coaluerunt, ciuitates abhorrent. Saluis autem imperii, quo singulae respublicae pollent, iuribus, fieri omnino potest, vt tum exercitium regalium immanentium intra fines cuiuscumque ciuitatis certa ratione circumferibatur, tum vero etiam, ita suadente commodi communis ratione, idem exercitium inter omnes ciuitates quodammodo communicetur. Sic iam supra vidimus (§. 12.), ius de re militari et de vestigalibus defensionis communis gratia statuendi, a suprema iam in vnione systematica lege ita affici, vt iurium illorum exercitium




certo modo ad integri systematis curam spectet. Sed nihil impedit, quo minus aliorum quoque regalium immanentium exercitium ad totum corpus systematicum transferatur. Huc spectat, si per modum pacti inter aequales, leges, quibus omnium omnino rerumpublicarum coniunctarum ciues obtemperant, introducantur; quod tamen semper salua cuiuscumque ciuitatis potestate legislatoria et fieri potest, et debet. Eadem ratione fieri potest, vt singularum rerumpublicarum ciuibus, praenotio maiestatis, quam venerantur, consensu, ius concedatur litium, quae inter eos intercedunt, definiendarum nomine, obseruata appellacionis forma, in collegii cuiusdam, cuius assessores singulae ciuitates constituunt, vel, si hoc non adsit, in ipsius concilii communis arbitrium compromittendi. In eundem censum venit iuris circa sacra exercitium, consentientibus rebuspublicis nexu systematico iunctis, ad finem egregii communis determinatum. Non tamen diutius huic tractationi mere politicae immoramur; quum infinitas fere regalium determinationes, diuersae status rationes, quas vocant, v. c. fauor commerciorum, suggerere soleant. (y).

§. 16.

y) Legum priuatarum per modum pacti introductarum exemplum habemus in antiquissima trium pagorum Helueticorum confoederatione, a. 1315. celebrata, apud WATTEVILLIVM l. c. Tom. I. Lib. III. p. 95. vbi hunc laudat foederis illius articulum: „Un assassin sera puni de mort, à moins qu'il ne puisse prouuer la nécessité de sa juste défense; celui qui donnera retraite à l'assassin sera banni. Un Incendiaire devra être banni d'un bannissement perpétuel, et celui qui lui aura donné retraite sera condamné au dommage.“ Apud Vallesianos appellaciones a cuiuscumque ciuitatis iudicibus ad commune concilium adniti, testes sunt SIMLERVS in *Vallesia* (in *Thest. Hist. Heluet.*) pag. 9. et WATTEVILLIVS l. c. T. II. Lib. X. p. 114. Communem sacrorum curam ad ea referendam esse instituta, quae concordiam inter homines promouere et confoederationum sanctitatem egregie munire soleant, iam Graeciae antiquae ciuitates viderunt. Amphictyones nimirum Delphica sacra et ludos diis dedicatos communi consilio procurarunt. Huc faciunt, quae PAVSANTIAS in *Phocicis* pag. 618. de Del-

Restat, vt de iuribus et obligationibus singularum ciuitatum, nexu, quem haecenus descripsimus, systematico coniunctarum pauca subiungamus. Iura autem, quae ciuitas quaecumque salua retineat, ex ipsius obligationis, cui eadem obnoxia est, tenore optime colligi poterunt. Jam vero, quaecumque ciuitas ex iis, quae in systema coaluerunt, ad bellum defensiuum contra hostes, qui systemati inhiant, suscipiendum perfecte obligatur. Nec abscessisse requiritur, vt bellum, quod iam propulsandum est, omnibus ciuitatibus vnitis simul inferatur. Lex enim communis defensionis hoc inuoluit, vt turbatio bellica non ab ea ciuitate sola, quae iam turbationem patitur, sed ab omnibus omnino rebus publicis vnitis, coniunctis viribus propulsetur. Quapropter

Delphico Apollinis templo commemorat: τὸν δ' εἶψ' ἡμῶν τῷ θεῷ ναδὸν ἀκαδόμῃσαν μὲν ἀπὸ τῶν ἑσθῶν δι' Ἀμφικτύονες χρημάτων, ἀρχιτέκτων δὲ τῆς Σπυθιαγῶς ἐγένετο αὐτῷ Κορηθῶος. Idem memoriae prodidit HERODOTVS *Lib. II. cap. 180. et Lib. V. cap. 62.* Amphictyonicum quoque concilium sacrorum communium gratia campum consecrasset, et ludos Pythios ordinasse, testis est STRABO *Lib. VIII. p. 419. et 421.* quo posteriore loco ita pergit; δι' Ἀμφικτύονες ἱππῶν καὶ γυμνῶν ἐπ' Ἐυρυλόχῃ διέταξαν τῶσαντιν, καὶ πύθια ἐκάλεσαν. Quo de facto vide etiam PAVSANIAM in *Phoc. p. 621.* Etiam si vero vniuersa religionis cura ad negotia totius systematis communia non referatur, nihilo tamen minus fieri posse, vt per modum pacti religio quaedam dominans definiatur, et de ipso religionis exercitio in genere nonnulla statuatur, Belgii foederati exemplum nos docet, in quo per *Foederis Traiecti. art. 12.* cautum est, vt cuiuscumque ciuitati integrum sit ius de sacris statuendi, ita tamen vt singulis ciuibus salua maneat conscientiae libertas. In eodem vero systemate a. 1657. publica omnium ciuitatum auctoritate approbatam esse disciplinam reformatam auctor est EV. OTTO *l. c. Cap. V. §. 28.* Ipsi denique vnionis systematicae leges ad rationes politicas frequentius accommodari, tum ex Achaici systematis historia discimus, de quo POLYBIUS *Hist. Lib. II. c. 37.* singulas respublicas coniunctas iisdem legibus, ponderibus, muneribus, eademque pecunia vti consueuisse, commemorat; tum Belgarum foederatorum systema luculenter docet, in quo per *Foederis Traiecti. art. 12.* fauoris potissimum commerciorum gratia, definitum est, vt in omnibus plane prouinciis moneta ad eandem legem cudatur.



pter iura belli, pacis, foederum et legationum cet. hac demum lege a singulis ciuitatibus in causis propriis exerceri poterunt, vt ne integrum rerumpublicarum corpus detrimenti quid inde capiat. Sed, quum tamen ciuitates singulae iura liberarum gentium retineant, nullam ex iis cogi a reliquis posse, vt turbationem a gente extranea sibi illatam inultam relinquat, facile consequitur. Quoties igitur cuidam ex vnitis ciuitatibus turbatio a gente extranea illata est, quae iustam belli causam praebet, aut caeterae ciuitates curare tenentur, vt vel per bellum commune, vel per transactionem iniuria illa resarciatur; aut, si hoc nolint, ciuitati laesae integrum esse debet, vtrum ius suum in bello proprio ausu mouendo persequi, an vero controuersiam, quam cum republica extranea habet, alio quouis modo consopire velit. Ex quo fluit, omnia quoque, quae ad bellum felicioribus auspiciis gerendum vim aliquam habere solent, a ciuitate quacumque in causa propria recte expediri; atque ita illam foedera cum gentibus extraneis, quatenus nihil cum obligatione communi pugnantem per illa introducatur, celebrare, et legationes etiam decernere posse. Atque haec ita obtinent, si iurium maiestaticorum transeuntium exercitium in certis tantummodo causis inter ciuitates vnitae communicatum fuerit. Si vero ad omnes omnino causas per vnionis legem exercitium illud commune extendatur, ita, vt singularum ciuitatum negotia semper etiam pro communibus habeantur, nemo non videt, omnia certe ab vnitis ciuitatibus fieri debere, quae ad conseruandum arctissimum hocce vinculum faciant. Bellum itaque ob praeciam turbationem iniustam ab altera ex vnitis ciuitatibus suscipiendum, ad omnes ciuitates coniunctas spectabit, quum alias ciuitas laesa, quae vi pacti inter aequales initi in quaestione de bello gerendo ad rerumpublicarum illarum consensum adstricta est, contra ius gentium iniuriam pati teneretur. Quae obligatio, quum aperte cum aequalitate naturali pugnet, consequens est, eo etiam in casu, quo iura maiestatica transeuntia in omnibus plane causis non nisi omnium ciuitatum consensu et communi nomine, secundum tenorem foederis exercenda sunt, singulas ciuitates a gente extranea lae-

laesas, si reliquae ciuitates nec in bellum consentire, nec suo qualicumque auxilio adesse velint, tum bellum, de quo agitur, iuste mouere, tum vero etiam caeteris iuribus maiestaticis transeuntibus ad bellum illud gerendum vti posse. (z)
 Quibus praemissis iam satis liquet, vniuersas omnino ciuitatum fin-

2) Ciuitates vnitas regalium transeuntium exercitio, proprio ausu expediendo in totum renuciare omnino posse, Achaeorum exemplum nos docet, apud PAVSANIAM in *Achaicis* pag. 414. quo loco nullam rerumpublicarum, quae systema illud constituebant, solam ius habuisse mittendi legatos his verbis declarat: *Ὡς δὲ ἐπεὶ οὐκ ἔμελλε εὐεργετῆσαι τὰς πόλεις ἕκαστῆς τῶ Ἀχαιῶν μετέχον.* In Belgio autem Foederato, regalia transeuntia, licet commune eorum exercitium per *Foed. Traiect.* art. 9 et 10. introductum sit, nihilo tamen minus in causis singularum prouinciatarum propriis, ab his, etiam non expectato reliquarum ciuitatum consensu, exerceri posse, sententia est BYNKERSHOEKII in *Quaest. Iur. Publ. Lib. II. cap. 4.* Pagos Heluetae singulos iura belli, foederum, rel. habere, rerum gestarum momenta egregie commonstrant. Etsi enim in legibus vnionis a. 1393. Sempaci omnium pagorum consensu conceptis, apud STUMPFIVM in *Chron. Heluic. Lib. XIII. cap. 8.* et WATTEVILLIVM l. c. *Tom. I. Lib. IV. p. 156.* cautum fuerit, vt ne sine praeuia reliquarum ciuitatum approbatione singulis pagis bellum decernere et gerere liceret: ex ipsa tamen historia apparet, Bernenses, vt alia exempla silentio inuoluamus, tum a. 1474. caeteris pagis in consilium haud vocatis, Carolo Audaci, Burgundiae Duci, bellum inferendum decreuisse, tum vero etiam a. 1475. contra Jacobum Sabaudum, Romontii Comitem, proprio ausu bellum mouisse. vid. WATTEVILLIVS l. c. *T. I. Lib. VI. p. 230 et 238.* Foederum a nonnullis Heluetae pagis cum extraneis celebratorum, plura prostant exempla. Sic Bernenses iam a. 1406. cum ciuitate et principe Nouicastrii foedus archifinum et perpetuum (*Combourgeoisie*) celebrarunt, cuius ex reliquis Helueticorum pagis nonnisi Lucernenses, Friburgenfes et Solodurenfes quodammodo participes facti sunt, teste WATTEVILLIO l. c. *T. I. lib. V. pag. 165. et T. II. lib. VIII. p. 105.* Non tamen omnes omnino pagi eadem vtantur, circa exercitium regalium transeuntium, libertate. Friburgenfes enim et Solodurenfes anno 1481. in systematis communionem receptos, nec bellum auspicari, nec foedera celebrare, nisi praeuio octo antiquorum pagorum consensu, posse, testis est WATTEVILLIVS quilibet c. *T. II. lib. VII. p. 9.* foederis ipsius capita accurate recenset.

F



singularum obligationes his absolui: vt I. iis, quae communi omnium consilio atque consensu, et modo in pactis fundamentalibus determinato, definiuntur, obtemperent; II. vt maiestate, quam integram conseruant, contra defensionis communis legem numquam abutantur; et III. vt mutua assidue colant amicitiam, vtpote quae neglecta controuersis inter ipsas ciuitates, et bellis funestis ansam praebere solet. Ex primo, quod posuimus, axiomate, facili negotio efficitur, ciuitatum vnitarum quamuis ius habere a reliquis exigendi, vt ne extraneam rempublicam, nisi praenio omnium consensu, in vnionem systematicam recipiant. (aa) Alterum axioma nos docet, saluis systematis iuribus fieri posse, vt in ciuitate quadam ex iis, quae vnionem constituunt, forma reipublicae mutationem patiat. Diuersas enim rerumpublicarum formas in ipsa, quae ciuitatibus competit, maiestate nihil prorsus immutare, ex iuris publici vniuersalis principis certum est; easdem vero vnionem systematicam non afficere, quia nimirum corporis integri nihil interest, quam ratione in singulis ciuitatibus maiestas administretur, iam in iis, quae praecedunt, (§. 6.) monuimus. Sed per pactum inter gentes vnitas initum cuiuscumque reipublicae formam ita definiiri posse, vt ad communem paciscentium consensum adstringatur ciuitas, quae regiminis sui formulam immutare cupit, extra omnem positum est dubitationis aleam. Ex eodem axiomate consequitur, in internum ciuitatis cuiuscumque regimen reliquis rebuspublicis nihil iuris tribui posse: ita, vt magistratus suos propria auctoritate quaelibet ciuitas constituat, nec forte principem ab integro

cor-

a a) In Achaeorum systemate hoc omnium omnino foederum et confoederatorum ratione ita obtinuisse, testem locupletem habemus POLYBIUM *Hist. Lib. IV. cap. 9.* vbi de receptione in foederis societatem Messeniis denegata ita pergit: *περι μὲν τῆς συμμαχίας οἱ πρῶτους τῶν Ἀχαιῶν ἀπέλεγον, ἃ φάσκοντες δυνατόν εἶναι, χωρὶς Φιλίππου καὶ τῶν συμμάχων ἰδίᾳ προσλαβεῖν ἔτι γὰρ ἑσθραὸς ἔμμενε πᾶσιν ἢ γεγενημένη συμμαχία δι' Ἀντιγόνης κατὰ τὰς Κλεομένηδους καιρὸς Ἀχαιοῖς, Ἠπειρωταῖς, Φωκείοις, Μαιεδόσι, Βοιωτοῖς, Ἀρκαδοῖς, Θετταλοῖς.* Quo ex loco simul apparet, systematis socios ad exterarum quoque gentium consensum, in facultate nouos foederatos recipiendi, adstringi posse.

corpore sibi datum, sed eum demum, ad quem secundum leges, quibus vitur, fundamentales, imperium delatum est, agnoscere teneatur. (bb). Ex ultimo demum axiomatica sua sponte fluit, per modum pacti inter ciuitates, quae vnionem systematicam ineunt, definiendos esse modos, quibus controuersiae inter singulas reipublicas exortae consopiri possint. Alias enim a ciuitatibus, ad

F 2 quas

b b) Per pacta inter gentes liberas reipublicae cuiusdam formulam summique in ea imperii administrationem definiiri posse, illustre pacis Westphalicae exemplum nos docet. Quatenus vero talia pacta deficiunt, cuiusque ciuitati, atque ita etiam rebus publicis, saluo iure gentium, nexu systematico vnitis, integra esse debet de constitutione interna statuendi potestas. Sic, in Belgio Foederato, per *Foed. Traict. art. 12.* quaecumque ex vnitis rebus publicis plena vitur circa negotia ad regimen suum internum spectantia potestate, quod egregie docuit GROTIUS in *Apolog. cap. I.* Quapropter etiam supremus Belgii foederati gubernator diuersas omnino personas sustinet, dum simul gubernatoris hereditarii singularum septem prouinciarum et Drentiae honoribus fulget, et ratione cuiuscumque reipublicae in officio suo limites per capitulationes sibi praescriptos obseruare tenetur cf. *EV. OTTO l. c. §. 43. et ACHENWALL l. c. §. 41.* Cui accedit, quod cuiuscumque prouinciae ordinibus de eo statuere liceat, an sine gubernatore ciuitas esse debeat, an vero eo ornari? BYNKERSHOEK *Quaest. Iur. Publ. Lib. II. cap. 24.* Diuersas autem regiminis formulas nihil impedire, quo minus systema subsistat, Vallesianorum exemplum commonstrat, quorum vnio constat ex septem ciuitatibus regimen suum internum libere administrantibus; quarum sex forma democratica vituntur; septima vero, Sedunum, aristocratice regitur, *WATTEVILLE l. c. T. II. lib. X. p. 114.* Deinde vero etiam ex notissima illa vnione Calmarica apparet, nec monarchicam formulam cum vnione systematica pugnare; quum secundum illius vnionis tenorem trium regnorum septentrionalium corpus verum constitueret systema ciuitatum, vnicum licet regem agnoscens, qui tamen, quum singulis regnis iura sua salua esse iuberentur, plures omnino trium regnorum intuitu sustinebat personas. cf. *LOCCENIUS in Hist. Suec. Lib. III. in Erico Pomerano; et Lib. IV. in Suenone Seniore.* Systematica quoque vnio intercessisse mihi videtur inter duodecim illos Aegypti reges, qui vulgo Dodecarchae dicuntur. Ita enim de hac Dodecarchia pergit *HERODOTVS Lib. II. cap. 147.* Ἐλευθεροῦντες Αἰγύπτου μετὰ τὸν Ἰστὶ τὴ Ἡφαίσου βασιλευσάντων (de Sethone

quas controuersia spectat, utpote quae perfectae aequalitatis statum retinent, ad arma statim conuolandum, et iniuriam vi opposita propulsandam esse; atque ita euenire non posse, quin a vero systematis ciuitatum scopo quam maxime aberretur, res ipsa docet. (cc).

CA-

ne loquitur Herodotus) — — ἐξήσαντο δωδέκα βασιλῆας, ἃς δωδέκα μέρους διασμένοι Αἴγυπτον ἅσασ' ἔτι ἐπιγαμίᾳ ποιησόμενοι ἐβασίλευον. νόμοις τετατοῖς χρησόμενοι, μήτε καταίρειν ἀλλήλους, μήτε πλέον τι διζήσθαι ἔχειν τὸν ἕτερον τῷ ἑτέρῳ εἶναι τε φίλος τε μάλα. Paulo aliter rem enarrat DIODORVS SICVLVS *Bibl. Histor. Lib. I. pag. 41. edit. Stephaninae*, his verbis: Ἄναρχος δὲ γενομένης κατὰ τὴν Ἀίγυπτον ἐπ' ἔτη δύο, καὶ τῶν ὄχλων εἰς τετραχῶς καὶ φόνος ἐμφυλοῦς τρεπομένων, ἐποιήσαντο συναισθησάντες οἱ μέγιστοι τῶν ἡγεμόνων δωδέκα. Συνεδρεύσαντες; δὲ ἐν Μέρμρι καὶ συνθήκας γραφίσαντες περὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους δημοκρατίας καὶ πίστεως, ἀνέδειξαν ἑαυτοὺς βασιλεῖς. Quibus ex locis colligimus: 1) duodecimea tempestate fuisse in Aegypto reges; qui 2) diuersis quidem et distinctis Aegypti regionibus imperauerint, attamen 3) antequam ad Imperium peruenirent, arctissimum foedus celebrauerint, ita tamen 4) vt nullus eorum ab altero penderet. Hos vero reges communi consilio respublikas suas administrasse, vel ex eo patet, quod in societatis suae et rerum communibus auspiciis gestarum memoriam Labyrinthum extruxerint, testibus HERODOTO *Lib. II. c. 148. pag. 175. seqq. (edit. Wesselingiana)* et DIODORO SICULO *Bibl. Lib. I. pag. 42.* Coniecturam feci; cui tamen, ne extra oleas vagari videar, diutius inhaerere nolo.

c) Bellorum inter ciuitates systematico nexu coniunctas gestorum diuersa exempla extant. Sic bellum inter Phocenses et Locenses exortum effecit, vt factō senatusconsulto Amphictyones omnes contra Phocenses foedifragos socios bello procederent, commemorante DIODORO SICULO *Bibl. Lib. XVI. pag. 525.* Φυφισαμένων δὲ τῶν Ἀμφικτυόνων τὸν πρὸς Φωκείας πόλεμον πολλὰ παραχρῆ καὶ διάταξις ἦν κατ' ἔλην τῆν Ἑλλάδα. De quo bello vide sis etiam STRABONEM *Lib. VIII. pag. 420. et AELIANVM Var. Histor. Lib. XII. cap. 53.* In Heluetiae systemate inter pagum Tigurinum ab vna, Glaronenses autem et Suicios ab altera parte, occasione mortis Friderici III. Comitis Toggenburgici, qui a. 1436. obiit, bellum a. 1437. exarsit, quod deinde ad totam Heluetiam pertinere coepit, et cuius historiam latius profequitur WATTEVILLIUS *l. c. T. I. Lib. V. p. 180. fgg.* Quod

CAPVT III.

DE MODIS DISSOLVENDI NEXVM SYSTEMATICVM.

§. 17.

Expositis hactenus, quae tum ad rationem constituendi ciuitatum systema, tum ad iura et obligationes, quibus ciuitates vnitae vtuntur, spectant, principiis, iam ad modos nexum systematicum dissoluendi tractatio nostra delabitur. Dissolutio autem systematis contingit, vbi mutua iura mutuaeque obligationes,

F 3

Quod autem ad modum definiendi controuersias inter ciuitates vnitas attinet, STRABO *Lib. VIII. p. 420.* de systemate Amphictyonico memoriae prodidit, in ipso Amphictyonum concilio disceptandas fuisse ciuitatum, quas inter se habent, controuersias. Verba, quae huc faciunt, haec sunt: 'Αρχαίως δὲ τῶν μνημονευομένων πρώτος διατάξαι δοκεῖ τὰ περὶ τῶν Ἀμφικτυόνων, — — ἐποδείξαι δὲ καὶ τὰς Ἀμφικτυονικὰς δίνας ὅσαι πόλει πρὸς πόλιν εἶσιν. Apud Helueticos iam a. 1351, quum Tigurinus pagus ad confederationem, quae iam tum inter Lucernenses, Suucios, Vrienses, et Vnterwaldenses obtinebat, accederet, modum per arbitros finiendi controuersias inter illas ciuitates exortas determinatum fuisse, ex ipso foederis illius diplomate nouimus, quod vide sis apud LEIBNITIVM in *Cod. Iur. Gent. Diplom. P. I. n. 89.* Eundem controuersias definiendi modum, quem Ius Helueticum (*le Droit Helvétique*) dicunt, (teste WATTEVILLIO *l. c. T. I. Lib. V. p. 204.*) hodie omnium pagorum, quibus Helueticum systema constituitur, intuitu obtinere, imo, contra eos, qui secundum confederationis tenorem per arbitros lites suas decidi nolunt, a reliquis pagis vi et armis procedi posse, ex WATTEVILLIO *l. c. T. I. Lib. V. p. 183.* discimus. In Belgio Foederato secundum *Foed. Traicté. art. 16.* controuersiae inter ciuitates vnitas exortae, per reliquarum prouinciarum intercessionem, vel si ad omnes omnino ciuitates spectent, aut tamen obtineri nequeat ciuitatum intercedentium consensus, per decisionem gubernatoris hereditarii componendae sunt. Tantum de determinatione modi, quo controuersiae inter socios exortae consopiri queant; quam definitionem in omni foedere, quo aeterna pax sancitur et perpetua amicitia, admodum necessariam esse, demonstrauimus in *diff. nostra de Paët. Bell. inter Gentes Scët. II. cap. I. §. 19.*

nes, quae secundum pactorum fundamentalium tenorem, inter ciuitates intercedunt, e medio tolluntur. Ex quo patet, ab eo, quod altera ex vnitis rebuspublicis iam a negotiis communibus sese abstineat, ad nexus systematici dissolutionem argumentum duci non posse. Fieri enim saluo hoc nexu potest, vt, vel ob impetratam neutralitatem, vel quia bellum, quod iam mouetur a reliquis rebuspublicis coniunctis, iniustum est, quum ad bellum iniustum nulla vel vniquam introduci obligatio queat, altera ciuitas sese a bello isto abstineat. Quin etiam bellum inter ipsas ciuitates confoederatas exortum, nexum systematicum minime perimit. Licet enim durante hoc bello respublicae ex diuersis partibus stantes, rationes suas omnino separatas habeant, eo ipso tamen iura et obligationes, quae ex constituto systemate fluunt, tantummodo suspenduntur, et pacis condiciones expectandae sunt, quibus determinetur, an subsistere debeat systema ciuitatum, an vero corruiere? (dd) Quae, quum ita sint, duplici tantum ratione euenire posse, vt nexus systematicus dissoluatur, facile ap-

d) Eorum, quae diximus, exempla larga nobis manu historia exhibet. Sic iure Neutralitatis Vnterwaldenses a bello a. 1474. a reliquis Heluetiae pagis contra Carolum Audacem Burgundiae Ducem moto sese abstinuisse, WATTEVILLIVS *l. c. T. I. lib. VI. p. 232.* commemorat. Ciuitatis, post bellum contra reliquos socios gestum, in vniionem systematicam denuo receptae exemplum in Messeniis habemus: qui praeuio quidem omnium ciuitatum Achaicarum consensu, post defectionem suam concilii communis facti iterum participes, nonnullis tamen, quae in ditione eorum fuerant, oppidis libertatem concedere iussi sunt. Quem euentum POLYBIUS in *Excerpt. Legationi. cap. 53.* his verbis memoriae prodidit: "Οτι οι Μεσσηνιοι, δια την αυτων αγνοιαν εις την εσχάτην περιγεγενημενη διαθεσει, αποκατένεσαν εις την εξ αρχης κατάστασι της συμπολιτειας, δια την Ανάδρα και των Αχαιών μεγαλονυχτίαν ή δ' Αβια, και Θέρια, και φαρά, κατά των καιρών τούτων από μόν της Μεσσηνίας έχρησθήσαν: βίαν δέ θέμενοι τήλην επέστη μετέρις της κοινής συμπολιτειας. Sic etiam per laudum arbitrorum Tigrinus pagus post bellum, quod contra socios foedere systematico secum coniunctos gesserat, in confoederatione Heluetica subsistere iustus est a. 1446. de quo factio WATTEVILLIVS *l. c. Tom. I. lib. V. p. 202.* ita pergit: „Les Arbitres — Pierre d'Argeu, Bourguemaizre d'Augsbourg, et Henri de Ba-

apparet. Aut enim huius euentus ratio in eorum, quorum interest, consensu, nexus dissolvi gratia interposito, quaerenda est; aut in eo latet, quod ciuitates vnitae autonomiam, qua tamquam gentes liberae haecenus utebantur, amiserint. Dissoluitur vero nexus systematicus vel omnium plane ciuitatum vnitarum intuitu, vel vna nonnisi aut nonnullae ciuitates a systemate separantur. De singulis hisce casibus iam exponendum est.

§. 18.

Eorum, quorum interest, consensu nexum systematicum dissolui posse, diximus (§. 6. et 17.). Prima igitur quaestio oritur, de quibusnam dici possit, eorum interesse, vtrum systema dissoluatur, an vero vnio illa subsistat? Quam, vt rite decidamus, ex iure gentium principia repetenda sunt. Foederum scilicet ea frequentius est formula, vt praeter ipsos paciscentes, aliae etiam gentes ad illa accedant, et solemnii promissione caueant, sese prospicere velle, vt nec contra foedus celebratum quidquam admittatur, nec ab eo temere discedatur. Huiusmodi pactum accessorium, quo gens ad foedus ab aliis gentibus ictum ita accedit, vt mutuis promissionibus caueatur, a foederis illius tenore numquam recedendum esse, Guarantia dicitur. Is vero, qui Guarantiam praestitit, Guarandus vocari solet. Quum igitur ex hoc ipso pacto Guarandus ius nanciscatur respublicas paciscentes ad seruandam, quae ex celebrato quodam foedere promanat, obligationem, cogendi; facile consequitur, fieri non posse, vt laudatae gentes mutuo consensu obligationes illas, et iura ex foedere quaesita, valide sibi remittant, nisi etiam Guarandi consensum accedat. (ee).

Haec, si ad foedus applicentur, ex quo vnio
 Bubenbergh, Advoyer de Berne, prononcèrent: que l'Alliance de Zurich avec la maison d'Autriche seroit annullée; que cette ville resteroit dans la Confederation Helvétique; vel."

e e) In Guarantia gentes, quae foedus celebrarunt, primo loco sibi inuicem, deinde vero etiam Guarando promittunt, sese a foederis illius tenore recedere numquam velle. Guarando itaque obligantur ad requirendum eius consensum, quoties in foedere illo quidquam im-



systematica oritur, perspicuum est, prouti vel guarandus ad corroborandam foederis illius sanctitatem cautiones suas interposuerit, vel non; nec eadem ratione a societate illa discedi posse. Priore enim in casu, non nisi expectato guarandi consensu; posteriore in casu per mutuum ciuitatum coniunctarum consensum, systema dissolui posse, quibus videt. Consensus autem singularum ciuitatum, de quo loquimur, vel ab initio interpositus fuit, vel tunc demum interponitur, vbi in eo est, vt totum systema dissoluatur. Ab initio recte interpositus censetur, si in ipso foedere definitae sint conditiones, quae, si aut quacumque ratione immutatae fuerint, aut si superuenerint, nexum systematicum dissoluere debeant. Si vero ab initio nulla conditio adscripta fuerit foederis formulae, nemo non intelligit, quoties de toto systemate dissoluendo, deque iuribus et obligationibus, quae ex eo oriuntur, penitus e medio tollendis agitur, omnium plane ciuitatum vnitarum accedere debere declarationem sese a communi, quod haecenus placuerat, regalium quorundam exercitio recedere, et singulas in posterum res suas separatas habere velle.

§ 19.

Si nexum systematicum non quidem integri corporis, sed vnus tantum, vel quarundam ex vnitis ciuitatibus, ratione, interposito consensu dissolui ponamus: primo statim loco respiciendum est ad iura Guarandi, vt pote qui hoc etiam in casu omnino consentire debet in vinculi, quod ipse cautione sua firmauit, dissolui immutare cupiunt; et si contra fecerint, iustam illi praebent belli causam. Non itaque laeso alterutrius paciscentium, vt pote quae non adest, vbi consensum de foedere dissoluendo ipsi interponunt; nec praecua auxilii imploratio ad guarandum a laeso emissa, ad id requiritur, vt ille foederis, quod sua cautione firmauit, conseruandi gratia iuste omnia molliatur; quum ex ipso Guarantiae tenore, et ius ad remedia illa habeat, et ad ea adhibenda obligetur. Quapropter nobis non arident Guarantiae definitiones a *Perill. L. B. DE WOLFF in Inst. Iur. N. et G. Parr. IV. cap. 5. §. 1149.* ab *ACHENWALLIO in I. N. Lib. IV. Sect. III. tit. II. §. 243.* et a *Cel. SCHRODTIO in System. Iur. Genr. P. II. Cap. V. §. 7.* suppeditatae; nec ea probantur, quae *SCHRODTIVS l. c. P. III. Sect. II. Cap. III. §. 23. Sqq.* de obligatione Guarandi post praeciam demum implorationem a gente laesa factam orianda, disputauit.

solutionem. Si vero nulla Guarantia interuenerit, foedus syste-
 maticum vel ea conditione celebratum est, vt singulis ciuitatibus
 integra sit ab vnione pro lubitu discedendi facultas, vel non. Il-
 lo in casu sola ciuitatis, quae iuribus et obligationibus per vnio-
 nem introductis in posterum vti non cupit, declaratio, sufficit ad
 dissoluendum, qui inter illam et reliquas respublicas intercedit,
 nexum. Hoc in casu vltcrius distinguendum est. Aut enim in
 ipso foedere, quo in systema coaluerunt ciuitates, placuit rem-
 publicam, quae pacta vnionis fundamentalia violauerit, ipso iure
 a systemate excludi, vel non. In priore, quem determinauimus,
 casu, mutua iura mutuaeque, inter ciuitatem foedisfragam et re-
 liquas respublicas, obligationes statim cessant, quia iam ab initio
 vtriusque partis consensus in dissoluendum, existente illa condi-
 tione, nexum interpositus fuit. (ff) Posteriore autem in casu
 non nisi consentientibus omnibus ciuitatibus, quae systema con-
 stituunt, rempublicam quandam vnitam iuribus in systemate sibi
 quaesitis renunciare, suisque obligationibus solui posse, ex ipsa
 foederum indole consequitur. cf. V. C. SCHRODRIUS in *Syst. Iur.*
Publ. Vniu. P. I. cap. III. §. 30.

§. 20.

Jam ad alteram causam pergimus, qua effici possit, vt sy-
 stema ciuitatum dissoluatur. Ciuitas, quae autonomiam suam amit-
 tit, eo ipso ciuitas esse desinit, nec in posterum gentium libera-
 rum iuribus vti potest. Haec autem mutatio contingit vbi res-
 publica per vim bellicam coacta sub alterius ciuitatis ditionem re-
 digitur: Jam vero, vel omnes plane ciuitates foedere systematico
 iunctae sui iuris esse desinunt, vel vna tantummodo aut nonnul-
 lae

ff) Fieri enim potest, vt in ipsa systematis origine, communi con-
 foederatarum rerumpublicarum concilio ius tribuatur socios foedi-
 fragos ab vnione systematica facto senatusconsulto excludendi. Sic
 communi reliquarum ciuitatum consensu Phocenses, templi Delphici
 direptores, et Lacedaemonios post confectum bellam decennale a
 systemate Amphictyonico fuisse exclusos PAVSANTIAS in *Phoc. p.*
 622. memoriae prodidit his verbis: *φωκίων δὲ τὸ ἔθνος καὶ ἐν τῷ Δελφικῷ*
Ἀμφικτιόνει μετασχόντες ἐπαύσαντο Ἀρφικτιονίας' εἰ μὲν τῷ τοῦ μύρατος ἕνεκα
οἱ φωκίαι, οἱ δὲ συμμάχιας εὗραντο οἱ Λακεδαιμόνιοι τῆς φωκίων Σητίας.

G

lae ex iis hanc conuersionem patiuntur. Illo in casu totum omnino systema corruiere facile apparet. Pactis enim cum gente victrice celebratis obtemperandum est a singulis ciuitatibus, quae iam legibus pacis a gente illa praescriptis, quas consensu interposito receperunt, reguntur. Quapropter omnino caueamus, ne externa quadam specie decepti, nexum systematicum post huiusmodi mutationem adhuc subsistere, nobis aliisque persuadeamus. Fieri enim potest, vt ciuitas, cuius imperium deuictae republicae iam venerari tenentur, pristini, quo illae iungebantur, foederis umbram quandam relinquat, ita, vt v. c. in commune concilium earum deputatos congregari sinat. Sed huiusmodi victoris artes ad conciliandos sibi deuictorum animos comparatae, nihil impediunt, quo minus in subacta provincia ad nutum maiestatis e traneae gentis omnia administrentur, et concilii illius placita, accedente demum summi imperantis, qui illud adornauit, consensu vim aliquam nanciscantur. (gg)

§. 21.

Si systema ciuitatum quidem subsistere, vnam tamen ex vnitis rebuspublicis vi bellica subactam iura gentium amittere, atque ita a systemate diuelli, ponamus, duplex quaestio oritur; altera de auulsionis illius, si illam ad reliquarum ciuitatum obligationes referamus, iustitia; altera, de victoris, ad systema relati, iuribus. Quod ad priorem quaestionem attinet, certum

qui
 gg) Amphictyonicum conuentum, post subactam quoque a Romanis Graeciam, conseruatum a victoribus fuisse, PAVSANIAS in *Phocicis*. pag. 622. nos docet, dum Octavianum Augustum, nonnullis populis locum in concilio Amphictyonum dedisse his verbis commemorat: βασιλεὺς δὲ Ἀύγουστος μετέβη καὶ Νικοπολίταις, τοῖς πρὸς τῷ Ἀκτίῳ, συνεδρίασάντων Ἀμφικτυόνων ἡδύλαξεν. Et missis interiectis: Οἱ δὲ Ἀμφικτυόνες οἱ ἐπ' ἑμὲ τριάκοντα ἄρθρα ἴσαν. Sic etiam post excidium Corinthi concilium Achaicum dissolutum, sed non multis post annis restitutum esse a Romanis idem PAVSANIAS in *Achaicis*. p. 478. auctor est, dum ita pergit: Ἐπειὶ δὲ ὁ πολλοὶ ὄρεον ἐστράποντο εἰς ἔλαον Ῥωμαίων τῆς Ἑλλάδος, καὶ συνεδρία τε κατὰ ἔθνος ἀποδιδασθῆναι ἐκάστος τὰ ἀρχαία, καὶ γὰρ ἐν τῇ ὑπεροχῇ κτῆσθαι. — — Ἡγεμὼν δὲ ἐστὶ καὶ ἐξ ἑμὲ ἀπετέλλετο καλεῖσθαι δὲ ἐξ Ἑλλάδος καὶ Ἀχαιῶν Ἡγεμῶν οἱ Ῥωμαίων: διότι ἐχειρώσαντο Ἕλληνας δὲ Ἀχαιῶν τότε τὰ Ἑλληνικῆ προσημῶντων. Quibus ex locis satis patet, Romanos, licet restituti Achaetorum aliorumque populorum conciliis, Graeciae in provinciae formulam redactae, vere imperasse.

quidem est, omnes ciuitates nexu systematico iunctas sibi inuicem obligari ad auxilium contra hostium iniurias praestandum; sed ipsa quoque systematis indoles luculenter docet, obligationem ad totum systema conseruandum maiorem esse eo iuris vinculo, quo ad conseruandam vnus cuiusdam ciuitatis foederatae libertatem singulae respublicae obstringuntur. In hac igitur obligationum collisione, si ciuitates coniuictae vires suas haud sufficere animaduertant, ad fugandos, qui reipublicae sociae inhiant, hostes, quin etiam sibi atque adeo integro systemati mortem et exitium imminere praeuideant, nisi pacem cum hostibus illis celebrauerint, a foedere, quod cum ciuitate bello petita haecenus coluerunt, recte recedent, illiusque sortem armorum fortunae committent. (*hh*). Ad alteram, quam posuimus, quaestionem, facili negotio responderi potest, si vnico nonnisi modo, per pactum scilicet, fieri posse, vt gens quaedam ad systema ciuitatum accedat, in memoriam nobis reuocare velimus. Jam vero, ciuitas per vim bellicam in victoris potestatem redacta, dum sui iuris esse definit, iura etiam et obligationes, quibus in vnione systematica utebatur, amittit; nec pacta, quae eadem cum gentibus olim celebrauit, victorem obstringere possunt, vtpote quae, euersa, ad quam spectauerant, ciuitate, omni vi obligandi destituuntur. Haec autem vis obligandi tunc demum reuiuiscit, si gens victrix eiusdem tenoris foedera cum iisdem rebuspublicis inerat; atque ita satis perspicuum est, ciuitatis, quae ad systema spectauerat, victorem, in iura et obligationes euersae reipublicae

G 2

cae

hh) Eadem prorsus ratione, qua ad conseruandam ciuitatem integram, partem illius hostibus relinqui, atque ab imperante et populo deserui posse, PVFENDORFIVS in *I. N. et G. Lib. VIII, cap. 8. §. 9.* et HERTIVS de *Feudis obliatis P. II. §. 28.* (in *Opuscul. Vol. I. T. II. p. 381.*) docent; de systemate quoque ciuitatum dici potest, in eo recte praeferrri obligationem ad conseruationem totius corporis, obligationi, quae singularum ciuitatum libertatem conseruari iubet, Quapropter multo minus dubium est, si necessitas id iubeat, aut omnes ciuitates, aut vnam vel nonnullas ex illis, feudali nexu sese victori obligare posse; maxime, quum nexus feudalis obligatio, cum nulla subiectione coniuicta, ne quidem obstat systematis libertati (§. 8.).




caae ipſo iure non ſuccedere ; ſed demum, foedere cum rebuspub-
licis nexu ſystematico coniunctis eo nomine celebrato, effici poſ-
ſe, vt gens victrix in ciuitatum ſyſtema cooptetur. (ii)

TANTVM.

ii) Hanc ob cauſam GROTIUS in *I. B. et P. Lib. II. cap. 9. ſ. 8.*
calculum noſtrum adicere non poſſumus, qui poſt deuictos a Philip-
po Macedone Phocenſes, hunc principem ipſo iure eorum locum in
concilio Amphictyonico occupalle affirmare nobis videtur. PAVSA-
NIAS enim in *Phocic. pag. 613.* Phocenſes primum a concilio Amphi-
ctyonum excluſos, deinde vero Macedoniam in eorum locum com-
muni conſenſu receptam fuiſſe, commemorat, dum ita pergit :
*Ἀφικτύνων δὲ οἱ Φωκῆς καὶ μετῴναι εἴσαν ἰερὸν τῷ ἐν Δελφοῖς καὶ συνέδῳ
τῆς ἐς τὸ Ἑλληνικόν, καὶ τὰς ψήφους αὐτῶν Μακεδόνων ἔδοσαν οἱ Ἀμφικτύονες.*
Ex quo loco latius apparet, Philippum Macedonem non Phoceniſium,
vt pote qui penitus remoti fuerant a ſyſtemate, iure et nomine ad
concilium Amphictyonicum acceſſiſſe, ſed potius loco deuictae Pho-
cenſium reipublicae ius ſuffragii accepiſſe.

SPHALMATA TYPOTHETAE.

- pag. 14. in nota lin. 35. *συνεδρία*, lege: *συνεδρία*.
pag. 27. lin. 8. *communum*, lege: *communium*.
pag. 28. in nota lin. 12. *πρώτων*, lege: *πρώτοι*.



P. 432

ULB Halle
005 377 420

3





DISSERTATIO POLITICA

DE

SYSTEMATE CIVITATVM

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

MAGISTERII LIPSIENSIS IVRIBVS OBTINENDIS

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

M. ERNESTVS CAROLVS WIELAND

VRATISLAVIA SILESIVS

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM ET ARTT. FRANCOFVRT.

ASSESSOR

ASSVMTO POST MERIDIEM COMITE

GOTTLOB FRIDERICO SCHMERBAVCH

DOBRILVCENSI LVSATO.

LIPSIAE D. IX. APRIL. MDCCLXXVII.

EX OFFICINA LOEPERIA.

177749
10

